

CANCELLE.  
MARTIS B.\*\*  
1718.



XII A c. 33

*Xpian 34 47-*

~~XII A c. 33~~

~~XXVIII . 9. ce~~

27  
QVOD DEVS BENE VERTERE IUBEATI

SVMMAM  
SANAE DOCTRINAE  
DE  
POLYGAMIA

AVSPICIIS  
SERENISSIMI PRINCIPIS ATQVE DOMINI  
DOMINI  
FRIDERICI AVGVSTI

DUCIS SAX. ET ELECT. SAXON. HEREDIS, ETC.

PRAESIDE

GOTTLIEB VVERNSDORFIO  
SS. THEOL. DOCT. ET PROF. PVBL.

AEDIS PRIMAR. PRAEPOSITO, ET SENAT.

ECCLES. ASSESSORE,

IN ACADEMIA VITTEMBERGENSI

DIE FEBR. c<sup>o</sup> 15<sup>o</sup> 15<sup>o</sup>CC XVI.

A REGENTIORVM MAXIME CORRVPTELIS  
ET CAVILLATIONIBVS,

VINDICATAM DABIT

JO. CHRISTOPHORVS GREIBZIGER

SERVESTA-ANHALTINVS.

---

VITTEMBERGAE

EX OFFICINA VIDVAE GERDESIANAE



QUOD DEUS RENE FERREUS PARENT

SVMMAM

SAANA DOCTRINA

DE

POLYGAMIA

APPLICIS

SEBASTIANI BRANCATI THEOLOGICI

DOMINI

FRIDERICI AVGVSTI

GOTTFRID VERNERDORNO

THEOLOGICI ET Rectoris

ALMA MATERIS UNIVERSITATIS

LEIPZIGENSIS

AVNDORNI

DIE

AVNDORNI

AVNDORNI

CHRISTOPHORI CRISTOPHERI

AVNDORNI

AVNDORNI

AVNDORNI





iginti, & amplius, elapsi anni sunt, quum maleferiati quidam Politici, quos divini, humanique, Juris Consultos dicere vix ausum, illam sibi opinionem studio pingendam, ac incrustandam, sumerent, licere aliquando Principi, si sic placeat, Uxori suae, aliam superaddere.

Quae sententia, uti corrupto, ut fit, seculo, mirifice se probavit; sic non defuerunt, qui, quod illi vel svaserant, vel saltem non improbarant, exemplo suo confirmatum irent. Sed Numen ipsum proposito intercessit, parumque sibi placere, illam, tum in statuendo, tum in sequendo, licentiam, exemplo tristissimo, & valde memorabili, quod de nunc exponere non placet, demonstravit. Movit ipsa sententiae indignitas Potentissimum Saxoniae ELECTOREM, ut studiosam juventutem mature adversus eam praemuniendam esse putaret, idque suis ut in praelectionibus sedulo agerent, Doctores publicos, anno superioris seculi XCIV. peculiari ad hanc Academiam mandato, quod h. l. inferendum esse censui, \*) admoneret. Terruit quoque

A 2

exem-

\*) *Würdige, Hochgelahrte, Liebe, Andächtige, und Getreue:*

*Es ist bekannt, was vor Schriften, in welchen die Bigamie vor zulässig, und in der Heil. Schrift vor nicht verboten, gehalten werden wollen, so wohl vormals, als auch bisanhero, zu nicht geringem Aergeruß, in öffentlichen Druck gegeben worden. Wie VVir nun deswegen an unsere Bücher-Commissarien zu Leipzig, daß dergleichen ärgerliche, und verdächtige Schriften nicht eingeführet, auch, da solche in denen Buch-Laden sich finden möch-*

exemplum sagaciores JCtos, ut ejus recordatione D. Henricus Bodinus scriberet: *non inconueniens fore, si terrarum Domini ex plenitudine potestatis, omnem, de hac materia, disputationem, sub graui corporali poena probiberent.\**) Quod consilium etsi cum temperamento quodam accipiendum esse videtur; mearum tamen esse partium, judico, ut, quibus ab opinionibus Clementissimus Nutritor, studiosam iuuentutem voluit arceri, eam nunc quoque, ubi novum a seductione periculum imminet, defendam. Uti enim Diabolus muscae indolem haectenus imitatur, quod vel noxius, deciesque abactus, redit tamen, locumque priorem occupat; sic etiam inuisa illa, & omnium Bonorum suffragiis pridem explosa, *de Polygamia, jure diuino non prohibita*, opinio, biennio abhinc Gedani in Borussia, velut ab inferis est excitata. *Willenbergius* enim, Juris Utriusque Doctor, ejusdemque in Urbis Gymnasio Professor, polygamiam, *jure quidem humano prohibitam, eaque de causa non temere admittendam, ceterum jure diuino, & in foro conscientiae, licitam, adeoque certis in casibus ne Christianis quidem interdiciendam esse*, docuit. Quae opinio, uti scandali, periculique plena, & Christianis hominibus prorsus indigna est; ita non defuerunt ea in Ecclesia, Gymnasioque, Doctores,

---

ten, selbige weggenommen und confisciret werden sollen, gemessene Verordnung ergeben lassen; und aber, damit auf denen Universitäten weder privatim, noch publice, in Disputationibus, oder andern öffentlichen Schriften, die Bigamie als zulässig, und in Heiliger Schrift vor nicht verboten statuiret und defendiret werde, als welches VVir hiemit ernstlich verboten haben wollen, fleißige Aufsicht zu haben: Als befehlen VVir hiemit Gnädigst, ihr wöllet euch also darnach achten, und dieser unserer Verordnung gehorsamst nachleben. Daran geschicht Unsere Meinung &c. \*) In Disp. de restring. libert. matrim. ineundi. §. V. p. 13.

ctores, qui pro eruditionis suae excellentia, eandem solida gravitate, & gravi soliditate retunderent. Ipsi etiam in vicinia Romano-Catholici controversiam illam ad se pertinere sunt arbitrati, & a *Willenbergii* opinione usque adeo alienos se esse ostenderunt, ut habito Petricoviae Senatu publico, scripta ejus pro *Polygamia* manu carnificis in foro comburenda curarent, in statuenda vero ipsi *Willenbergio* poena modum excederent. Interim, quia hic jactat, se id egisse, quod dudum ante se alii, & adhuc agant, in omnibus Scholis & Academiis, exempla vero illaudabilis scripti non modo his in regionibus, sed stylo etiam multo, quam in Borussicis, mordaciore, disseminata fuerunt, & periculum est, ne illud quoque *Halense venenum*, ut alia plura, occupet nostratium animos, ac inficiat; minime mihi committendum esse, putavi, ut vel temeritatem in scribendo impune ferret, vel errores, nemine prohibente, disseminaret, vel destinata, quae apud Borussos non poterat, apud Germanos consequeretur. Quod dum expeditio institutum, hoc magis brevitati studebo, quod Venerabile illud *Gedanensium Theologorum* par, *Veickbmannus*, & *Schelgvigius*, quorum alter jam in coelo de adversariis triumphat, alter etiam nunc in acie stat, fortiterque pugnat, pleraque, ac potissima *Willenbergii* argumenta sic occupavit, atque discussit, ut ex omni multitudine vix unum & alterum mihi discutiendum restet. Quapropter nec originem, & progressum, hujus de *Polygamia* certaminis, nec illa etiam, quae inter Theologos, & *Willenbergium*, *Gedani* sunt agitata, edisseram, sed rem ipsam aggrediar, ejusque summam brevibus complectar sententiis, quibus pertractatis, quo numero, locoque, haberi debeat opinio *Willenbergii*, facile constabit.

## θ. I.

Polygamia interne, & in foro conscientiae, non est licita, sed potius jure, tum humano, tum divino, prohibita.

## ΕΚΘ.

§. I. Polygamiae vocabulum origine est graecum, & componitur ex πολλός, & γάμος. Unde Latinis non in-  
epte *Multiconjugium* dicitur.

§. II. Etsi vero γάμος, seu conjugium, *feminis* non minus, quam *maribus*, tribuitur, adeoque Polygamia, vi vocis, & πολυανδρίαν, & πολυγυναικίαν, complectitur; usus tamen obtinuit, ut Polygamia fere de solis *maribus* praedicetur, unde & *Polygamia* eadem h. l. est, quae *polygynae-  
cia*, vel, cum multis uxoribus contubernium. Tunc enim Polygamia contrahitur, quum uxori superstiti, ac vivae, alia superadditur. Jcti, de hoc crimine acturi, crebrius vocem *Bigamiae*, quam *Polygamiae*, adhibent, sic tamen, ut eadem etiam consociationem cum *tribus*, vel *pluribus*, complectantur.

§. III. Hoc ipso autem significato accepta, vulgo in *simultaneam* & *successivam* dividitur. Quae distinctio ut-  
ut, si recte intelligatur, sit vera; tamen, re probe consi-  
derata, apparet, quod omnis Polygamia sit *simultanea*.  
Nec enim is dici meretur *Polygamus*, qui unam solum  
uxorem habuit in vivis, etsi una mortua, subinde aliam  
duxit, quum semper fuerit *μίας γυναικός ἀνήρ*; sed ille,  
qui vel plures eodem tempore in matrimonio habuit, vel  
priori dimissa, aliam superinduxit.

§. IV. Simultaneam igitur Polygamiam, quae *pro-  
prie* Polygamia dicitur, non male distinxeris in eam, qua  
quis



quis plures uxores simul habet, & eam, qua quis non nisi unam pro uxore quidem agnoscit, plures tamen duxit, ac deinceps repudiavit. Quorsum non modo locus *Matth. XIX, 8.* sed & illud *1. Tim. V, 9.* referri debet. Postulatur enim a vidua, ut unius viri fuerit uxor, non, quod *successive* pluribus non nubere, sed quod a pluribus repudiata, & recepta, vel plurium, qui in vivis essent, uxor non esse debuerit. \*)

§. V. Involvit etiam *concupinatum*, seu *consuetudinem unius cum altera, vel liberorum procreandorum, vel etiam libidinis restringendae causa, cum libertate dimittendi.* Etsi enim concubina non est *socia bonorum*, aut *dignitatis maritalis*, & haecenus a justa, legitimaque uxore distinguitur; est tamen *socia thori, & uxor vera, ut non legitima*, ut *Zieglerus ad Lancelotum* scribit. Si quis ergo plures sibi concubinas jungat, vel etiam, praeter justam uxorem, unam, vel plures, in thorum asciscere audeat, is polygamus erit, etiamsi solennes cum iis nuptias non celebrarit, nec eas legitimae uxoris loco habuerit.

§. VI. Utcunque vero se habeat Polygamia, nec *externe*, & in *foro humano*, nec *interne*, & in *foro divino*, est licita. Enimvero *externe*, ac legibus humanis, imprimis, si nulla interveniat dispensatio, prohibitam eam esse, ne hi quidem sustinent diffiteri, qui alioquin ejus patrocinium ex instituto suscipiunt. Norunt enim, eandem, etiam sub poena infamiae, jure Romano vetitam esse. \*\*) Imo vero, Polygamiam simultaneam *ab initio Christianitatis, ad nostra usque tempora, in omnibus omnino Christianis rebus-*

\*) Conf. *Rivetus* ad *Gen. cap. II. Exerc. XXVI. p. 131.*

\*\*) Vid. *L. 18. C. ad L. Jul. de Adulter. nec non Cod. L. V. Tit. V. 2. de Nuptiis.*

rebus publicis, non interrupta serie, per Leges publicas severissime prohibitam, adeoque ab universa Ecclesia constantiter profligatam fuisse, VVillenbergius, ejusdemque in statuendo, ut gloriatur, solidissimus antecessor, Brücknerus, prolixissime largiuntur. \*) Unde & recentiores Polygamiae patroni, sigillatim Halenses, & VVillenbergius, illius in rempublicam invehendae auctores esse nolunt, procul dubio veriti, ne idem aliquando sibi, quod Jo. Lysero in Svecia, \*\*)

eve-

\*) Vid. VVillenberg. de Polyg. c. Meletium §. IV. p. 6.

\*\*) Sententia Definitiva, in Curia Holmensi, ab ejusdem Civitatis Magistratu, Ao. 1679. die 14. Julii, lata publicataque, contra peregrinum quendam, sua quidem ipsius confessione Sacerdotem, nomine Johannem Lyserum, quem spectatae fidei vir Fiscalis Urbicus, Gustavus Holmström, ratione officii in judicium adduxerat, quod, repugnantibus Sveciae Legibus, Regnique Constitutionibus, scandalosum quoddam Scriptum de Polygamia, quam licitam esse propugnat, per hanc urbem ubique disseminaverit.

Quandoquidem Excellentissimo Regni Senatui, auditis Venerandi Consistorii Holmensis literis, de scandaloso quodam Scripto, in quo Polygamiam esse licitam, argumentis probare conatur Johannes Lyserus, causam hanc ad judicium nostrum, quo curatius heic examinetur, die 7. hujus clementer remittere placuerat: quem diximus, Reum, scripto adversus illum libellum, pro ratione officii, accusandum sibi existimavit Fiscalis Urbicus, Holmström. Quicum offendat, Lyserum illum, spreto prorsus Consistorii interdicto, per scandalosum quoddam Scriptum de Polygamia, quod, omni licet legitima Consistorii Censura destitutum, ubique tamen disseminare veritus non est, non tantum conari ejusmodi detestandum introducere morem, qui per omnes aetates in Ecclesia Christiana rejectus est, nec usquam in Christianismo adprobatus usque ullo confirmatus; sed etiam hac ratione temere audere receptam Regni Sveciae legem, ac Regiae Majestatis Statuta, convellere ac violare; imo non dubitare, Severitatem illam Regiae Majestatis, quae Bigamiam simultaneam capitali poena judicat dignissimam, inter horrenda illa peccata referre, quae severum aliquando mansurum sit judicium divinum; & animos denique subdi-

eveniat, qui cum contra regni illius leges, & Senatus Ecclesiastici monita, male elaboratos, de hoc argumento, libellos spargere non desineret, turbatae pacis, ac tantum non laesae Majestatis, ab Actore publico postulatus, capitis periculum adiit, satisque habuit, post libellos, manu carnificis combustos, exilio multari. Quod quidem Sveconum in veritate non magis, quam honestate, tuenda studium si plures imitarentur, quin multa multorum ingeniorum protervia, in ordinem sit redigenda, non dubito.

B

§. VII.

rorum perniciosis imbuere opinionibus, quibus ad inobedientiam in Regiam Majestatem sollicitari facile possint ac permoveri: quapropter postulat Fiscalis, ut Lyserus, utpote qui publicata Religionis Statuta & decreta transgressus sit, contemtuque interdicti Consistorialis, per plurima exemplaria scripti sui divididerit, ut, ergo, reus pro gravitate criminis capite plebatur; maxime cum & a nefando illo incepto ne in hac quidem urbe desisterit, quamvis ex tratum facinus expulsus sit, exilioque multatus. Ex adverso, utcumque Lyserus excipiat, nolle se cum Fiscali litem in hoc foro contestari, sed, ceu Clericum, vel ad Consistorium, vel ad commissoriale aliquod Judicium, cujus membra partim sint Ecclesiastici, partim etiam Ordinis Politici, provocare; directe tamen ad objectum sibi a Fiscali crimen regerit, tantum abesse, ut a sententia sua, quam satis superque scripto se existimet adseruisse, dimoveri se patiatur, tanquam de bonitate desperaret causae suae, ut illam aliorum quoque exemplis roborare non dubitet, qui, cum tempore Imperatoris Caroli Vti adversus per plurima a Caesare publicata Statuta calamum strinxissent, adeo tamen neque ab Evangelicis Juris Consultis, nec ipsis Theologis, digni iudicati sunt, qui ulli ea propter obicerentur supplicio, ut summam potius inde laudem reportaverint. Ceterum jure meritoque accusari a se Consistoriales Holmenses, qui, quod ipsos tamen rogasset, de nulla se causae pravitate admonuerint; sed, ut ut ipsi non sine voluptate scriptum suum perlegerint, idem tamen ex mera invidia aliorum subtraxerint lectioni: ut silentio praetereantur plurima id genus alia, omni profus fundamento cassa & destituta effugia, quibus proluxa ipsius Exceptio scetat & repleta est. Haec itaque in utramque partem, tam a Fiscali

§. VII. *Interne* autem, ac in foro conscientiae, ac sub novo foedere, licitam esse, Christianos inter vix docuit quisquam. Namque, ut *Theodoretus, Augustinus, Evcherius*, alii, quorum auctoritates nobis tam infeste *Brücknerus*, & *Willenbergius*, exprobrant, Polygamiam lege prohibitam, vel contra praeceptum fuisse, negent; hoc tamen primo de *solis Vet. Test. temporibus*, accipiendum esse, ipsi moment. Deinceps, praecepti nomine legem prohibentem ex-

plici-

accusationis loco, quam a Reo pro defensione sua, allata argumenta, ubi accuratius aliquanto considerantur: satis inde intelligitur, qua ratione hic *Lyciferus*, & crimen laesae Majestatis Regiae commiserit, & Speciae legem, cui Sartae testaeque servandae etiam jurejurando sese obstrinxit Regia Majestas, tum Regni quoque Statuta, praefraete violaverit, quorum quidem ignorantiam hoc minus potest in hoc casu crimini obtendere suo, quod ejusdem facinoris, tum *Aboae*, tum *Rigae*, & postulatus sit, & promeritas quoque poenas dederit. Ut vel hinc appareat, unicum ei fuisse propositum, circumforaneum agendo, simpliciores fallere, ad licentiam, disfidium, inobedientiamque in Regiam Majestatem, ejusque legem & statuta, sollicitare, atque (quod timet Confistorium, ne etiamnum magna ex parte factum sit) mutua quoque inter conjuges odia instruere & contentum: quemadmodum nec sibi temperare potuit, quin in Exceptione, quam Judicio huic obtulit, Confistoriales Urbis gravissimis calumniis proscinderet, qui tamen, severe eum monendo, ne qua scripta, quae consuram ipsorum non subiissent, in lucem ederet, non potuere partes officii sui non explere. Quamobrem, quamvis Judicium nostrum, cum & atrocitatem causae, & periculosum, qui inde existere posset, effectum perpendit, jure meritoque poena eum capitali multare posset; quia tamen sancte ipse adseverat, nunquam se in animum induxisse, Regiam Majestatem laedere, aequum etiam justumque pronunciat, ut ipse in exsilium ejiciatur, supra vero dictum ipsius scandalosum scriptum, in foro, per carnificem, in conspectu auctoris, publice comburatur.

Ex Protocollo vidi  
Joh. Roland  
Civit. Stockholm. Actuar.

*plicite*, formaliterque latam, intelligunt, quod recte *Schelgwigius* observavit. \*) Denique *Bened. Pererio* iudice, \*\*) non alia de causa hoc docuerunt, quam ut Manichaeos, ob Polygamiam Patriarchas projectae libidinis accusantes, hoc tanto facilius fortiusque repellere possent.

§. VIII. Quod ad *Durandum*, *Tostatium*, *Cajetanum*, & paucos quosdam alios inter Papistas spectat, qui Polygamiam non contra *jus naturae*, sed solum contra *Evangelium* esse, docuerunt, hi, nec simpliciter, nec ullo tempore prohibitam esse, negarunt, sed solum *lege naturae*, & quoad *Vetus Testamentum* duravit. Sub novo enim foedere, ac jure positivo Evangelico, i. e. statuto Ecclesiastico N. Testamenti, vetitam esse Polygamiam, nunquam inficiati fuerunt. \*\*\*) Ut adeo ex horum auctoritatibus nimis liberaliter inferat *VWillenbergius*: *Polygamiam nulla prorsus lege prohibitam esse, multos eruditos & graves viros censuisse.*

§. IX. Reliquos Ecclesiae Doctores ne specie quidem tenui Polygamiae patrocinos fuisse, per omnia secula eundo, contra *VWillenbergium*, sub *Meletii* nomine, erudite non minus, quam accurate, ostendit *B. Schelgwigius*, & nunc etiam plerique omnes, tum Theologi, tum Juri, cujuscunq; de cetero religionis fuerint, Polygamiam *contra Praeceptum*, legique divinae contrariam, esse, existimant. Imo Patres Tridentini \*\*\*\*) non dubitant anathema ei dicere, qui statuat, *licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla lege divina esse prohibitum.* \*\*\*\*\*) Unde & adversus *VWillenbergii* pro Polygamia libellos ma-

B 2

gnam

\*) In *Vindic. Ant. Scr.* c. VI. p. 104. \*\*) In *Gen. cap. XVI* f. 560. b. n. 25. \*\*\*) *Conf. Tarnov. de Conj.* p. 631. & *Pererius* in *Gen. l. c.* \*\*\*\*) *Sess. XXIV. de sac. matr. Can. II.* \*\*\*\*\*) *Vid. B. Longi Coriolani Summa Concil.* p. 1023.

gnam irarum vim exprompserunt *Poloni*, non modo severissima sententia, *Petricoviae* pro tribunali contra eum pronuntiata, sed literis etiam per omnes regni provincias a Primatē illius, eodemque Gnesnensi Archi-Episcopo, *Szembekio*, circummissis, \*) quibus eos & serio impro-  
bavit;

\*) *STANISLAUS* in *Słupow* *SZEMBЕК*,  
DEI & Apostolicae Sedis Gratia, Archi-Episcopus Gnesnensis, Legatus  
Natus Regni Poloniae, & Magni Ducatus Lithvaniae Primas,  
Primusque PRINCEPS.

**V**niverso Clero, tam Saeculari, quam Regulari, Populoque, Archi-Diaecesis & Provinciae Nostrae Regni Poloniae, ac Magni Ducatus Lithvaniae, Salutem in Domino sempiternam. Ad nunquam satis deplorandam concatenatorum in perniciem publicam malorum seriem, illud non postremum, hoc infelicissimo, ferreo aevō nostro, accessisse reputamus; quod haeretica pravitas tantopere nunc, in Regno isto, invalescat, & insolescat; ut non tantum nova sana erigere, perverissimis & exitiosissimis dogmatibus suis, Catholicum populum inficere, in contemptum Sacrorum, multa attentare, & facere, in negotia, & Causas Ecclesiarum, se immiscere; sed etiam Libros, ex sensu, & usu Paganorum receptos, sanae ac Sacrae Orthodoxae doctrinae oppositissimos, injuriosissimos, & Saluti animarum perniciosissimos, edere, de una lingua in aliam traducere, ac denique typis imprimere audeat, & praesumat: neque id fieri vel factum esse facile credidissimus, nisi certo compertum haberemus, expositum fuisse & esse Anno praecedenti, & currenti, Librum quendam, cui Titulus: De finibus Polygamiae licitae Schediasma ex Lectionibus Publicis collectum, sub Praefidio Domini Samuelis Friderici Villenberg, Doctoris & Professoris, in Auditorio Athenaei Ordinario, Die 22. Aprilis 1712. hora 10. examinabunt. Gedani, Typis Joh. Zachariae Stollii impressum, ac demum Francofurti, & Lipsiae, cum suis additionibus reimpressum: & justo quidem ac laudatissimo, ad seramque posteritatem digne memorando exemplo, Liber hic, ex Decreto Supremi Tribunalis Regni Petricoviae, ante non multos hos dies, ad rogam est damnatus, & exemplar illius, per carnificem in loco triviali fori Civitatis ejusdem Petrico-

bavit, & legi a quoquam vel distrahi, sub gravi comminatione prohibuit.

B 3

§. X.

vienſis igni traditum, ac Author ejuſdem ad poenam Capitis eſt condemnatus. Cum tamen, & ad Archi Praeſulei Primatialis Officii Noſtri vigilantiam, & curam pertineat, ea omnia, quae Sacris Canonibus, & Sanctae Orthodoxae Catholicae Fidei, ac bonis moribus adverſantur, omni poſſibili modo, quantum in nobis eſt, evellere, deſtruere, & diſſipare, omnemque occaſionem pernicioſi alicujus erroris, a Grege Noſtro, & a tota Provincia arcere, fugare, & proſtigare: proinde merito cenſuimus, & cenſemus, Authoritate Noſtra Ordina-  
ria Metropolitanana Primatiali, ac a Sacro Concilio Tridentino Nobis conceſſa, inhaerendo laudatiſſimis veſtigiiſ Prædeceſſorum Noſtrorum, & ſignanter glorioſae memoriae Stanislai Karnkowski, ac Johanniſ V Vezyk, Archi-Epiſcoporum Gneſnenſium, in DEI Nomine, Librum præſatum De finibus Polygamiae cum ſuis theſibus, & dogmatibus perverſis, damnare, rejicere, & anathematizare, prout damnamus, rejicimus, & anathematizamus. Ideoque omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus utriuſque Status, cujuſvis conditionis, Regni Poloniae, & M. D. Litv. ac Provinciarum illis annexatum, in virtute S. Obedientiae, & ſub Excommunicationis poena ipſo facto incurrenda, Sanctaeque Sedis Apoſtolicæ; in Bulla Caenae Domini reſervata, diſtictè prohibemus, ne pernicioſiſſimum huiuſmodi Librum, De finibus Polygamiae, (ut præfertur,) primo Gedani impreſſum, ac tandem Francofurti & Lipſiae, cum ſuis additionibus reimpreſſum, amplius reimprimere, aut reimprimi facere, legere, retinere, vendere, ſeu cuiquam donare vel permutare, aut ullatenus has, & hiſ ſimiles, propoſitiones, inferre & diſputare audeant, & præſumant. Imo ſi quis eundem Librum habuerit, quovis modo acquiſitum, ſerio præcipimus, ut illum proprio Parocho, Parochus autem ſui Loci Ordinario, quamprimum ſub graviffimo onere conſcientiae reddat. Bibliopolis vero & Typographis omnibus, ſub eadem poena Excommunicationis majoris, & aliis poenis pecuniariis, arbitrio Illuſtriſſimorum DD. Loci Ordinariorum irrogandis, mandamus, & inbibemus, ne ſupraſcriptum Librum quovis modo acquiſitum occultare, conſervare, aut vendere, ſeu de novo etiam in Officiniſ Acatolicis imprimi, reimprimi, facere vel procurare, & venalem in Regnum Polo-

§. X. Quod ipsum cum minime dissimulent Halenses, suoque in Responso, daß unter denen heutigen, so wohl Theologis, als Juristen, fast die meisten der Meinung seyn, als ob das Verbot der Polygamiae simultaneae aus dem geoffenbahrten Worte Gottes hergeleitet werden könnte, ingenuè fateantur, \*) ususque, & experientia, idem confirmet, eam in sententiam adducor, ut credam, Villenbergium, Polygamiae praeposterum defensore, animo peregrinatum fuisse, cum scriberet: *Non novam, sed a Theologis, & Jctis dudum propugnatam, sententiam esse, quod Polygamia simultanea in divinis literis non sit prohibita: seque, propugnantem pro illa, id egisse, quod dudum ante se alii egerint, & adhuc agant, in omnibus scholis & Academicis. \*\*)*

§. XI.

nae, ac M. D. Libr. eisque annexa Dominia importare, qualitercunque & quocunque tempore praesumant, etiam sub poena confiscationis rei librariae: sciantque praedicti Bibliopolae, & Typographi Regni Poloniae, & M. D. Libr. se quoad impressionem, venditionem, & invectionem Librorum, tam de Jure, & usu, Jurisdictioni Illustrissimorum DD. Loci Ordinariorum antiquius esse subjectos, quam etiam, juxta Diploma Serenissimi olim SIGISMUNDI AUGUSTI, Regis Poloniarum, Constitutionibus Synodalibus Provinciae Nostrae Gnesnensis Lib. I. insertum. Ut autem praesentes Nostrae Literae, ad notitiam indubitaram omnium, & singulorum Provinciae Nostrae Christi Fidelium perveniant, fraterne, & serio obsecramus Illustrissimos ac Reverendissimos D. D. Archi-Episcopum Leopoliensem, & Episcopos Comprovinciales Nostrae, quatenus easdem per Parochias quilibet suae Dioecesis distinctim, & indilate publicari, ac observari curent. Quas in majorem fidem, manu propria subscriptas, Sigillo Nostro communiri jussimus. Datum Squiernovicium, Die Vigesima Octava, Mensis Aprilis, Anno Domini, Millesimo, Septingentesimo, Decimo Quinto.

STANISLAUS SZEMBEK, Archi-Episcopus Gnesnensis Primas.

(L. S.)

\*) In Judicio de hac Controv. iter. praef. Villenb. adjecto. \*\*) Vid. Praef. J. div. n. I. p. 3. 4.



§. XI. In hac saltem Alma, (de qua ei felicitate toto pectore gratulor,) nec dum inventus quisquam fuit, qui putidam illam *de Polygamia, jure divino licita*, opinionem, vel spargeret, vel foveret, sed potius in eadem rejicienda Jcti cum Theologis, exemplo posteris imitando, perpetuo consenserunt. Id quod praeter Excell. *Bergeri* auctoritatem, etiam Celeberr. Juris Antecessorum, *Hornii, VVerberii, Griebneri*, aliorumque testimoniis, dare confirmatum possem, nisi haec omnia Summe Ven. *VVeickmannus*, quae singularis Viri solertia est, occupasset. \*)

§. XII. Thomasius ipse, aliquot abhinc annis, meliora sensit, quando in Disputatione de crimine Bigamiae \*\*) *Bigamiam utramque, (virilem & muliebrem) jure divino, pariter ac humano, prohibitam fuisse*, docuit. Nunc autem spiritu, quod apparet, vertiginis agitated, mutavit sententiam, datisque ad *VWillenbergium* biennio abhinc literis, *daß die von demselben defendirte Thesis, quod Polygamia simultanea, non divino, sed humano saltem, jure prohibita sit, ihren guten Grund habe*, suo, Collegiique sui nomine, respondit. \*\*\*)

§. XIII. Nos hoc ipsum constantissime negamus, & Polygamiam jure non solum *humano*, sed & *divino*, prohibitam esse, cum meliorum partium Theologis, juxta & Jctis, statuimus. Quod ipsum etsi pluribus argumentis evicturi deinceps sumus, hoc tamen loco videmur nobis vel ex propria dissentientium, quam supra dedimus, Confessione, citra difficultatem, posse ostendere.

§. XIV. Si enim verum est, quod nemo dubitat, & ipse *VWillenbergius*, cum *Brücknero* \*) suo, contendit, & nos ab utroque datum solennissime acceptamus, Polygamiam

\*) In just. Causes. p. 70. \*\*) §. XXII. p. 18. \*\*\*) Vid. Judicium Jctorum Halensium de hac Controversia in iteratis praef. *VWillenbergii* ad calcem p. 90. seq.

giam nemp̄e simultaneam, inde ab initio Christianitatis, serie non interrupta, per leges publicas, severissime prohibitam, & ab universa Ecclesia constanter profligatam fuisse, tum prohibitam, ac profligatam esse oportuit per leges, easque vel divinas, vel humanas. Sed non per humanas, quoniam ferendae ac promulgandae fuissent a Superiore, ac Magistratu, vim obligandi habente, eodemque vel Politico, vel Ecclesiastico. Non Politico; quoniam Christiana Ecclesia, vel, ut Brücknerus loquitur, Christianitas, & nata, & propagata fuit sub imperio Romanorum, quos quidem Christianis Polygamia interdixisse, non magis verum est, quam, quod Judaeos, quibus Christiani aliquando accensebantur, vel alias etiam gentes, quas numero plurimas sua sub potestate habebant, eadem prohibuerint. Ipse quippe Willenbergius \*\*) fatetur: tempore Pauli multos fuisse populos, quibus usus polygamiae fuerit: Graecosque perinde ut Judaeos, & alios Provinciales, sub Imperio Romanorum suis legibus, & consuetudinibus vixisse, inter quas notorie fuerit libertas Polygamiae. Neque hoc non potest, si suam locorum 1. Tim. III, 2. & Tit. I, 6. interpretationem salvam esse velit, largiri, quum alioqui non appareat, cur Paulus solo ab Episcopo tam severe postulare debuerit, ut sit μονόγαμος, si nemini jam tum temporis per leges civiles licuit esse πολύγαμον. Principum vero adversus Polygamiam edicta, quibus sese Brücknerus, & Willenbergius, tuentur, multo sunt recentiora, quam quae ad initia Christianae religionis, & Ecclesiae, h. e. Christi, & Apostolorum tempora, rejici, vel ad ostendendam universae Ecclesiae constantem prohibitionem, sufficere possint. Non ab Ecclesiastico; quia caput visibile, maxime sub

\*) In decif. Matrim. c. 14. n. 17. \*\*) In iter. praef. c. II. n. XVI. p. 24. & in Praef. ipsi §. XXV. p. 31.

sub initia Christianitatis, Ecclesia non agnovit, &, si ad Christum, & Apostolos, quibus alioqui architectonicam in fundanda Ecclesia potestatem relinquimus, prohibitionem Polygamiae referre volumus, non in *humanis*, sed *divinis*, legibus, numeranda erit. Alios sacrorum antistites hujusmodi unquam legem tulisse, nullibi memoratur. Tum vero Episcoporum, & Praepositorum, in se spectatorum, nulla, primis Ecclesiae nascentis temporibus, tanta vel auctoritas, vel potestas fuit, ut vel universi, vel singuli, potuissent tanti momenti legem condere, nedum ad eandem totam Ecclesiam obligare. Neque enim Christiani aequa mente laturo erant, libertatem suam, in quam se vindicatos esse a Christo norant, temere circumscribi, eo quidem tempore, quo paulo ante Apostoli Leges veteres abrogare, non novas promulgare studuerant, & eo in negotio, in quo corrupta hominis natura ad effrenem potius licentiam, quam voluntariam servitutem, propendit.

§. XV. Si quis ad spontaneum totius Ecclesiae consensum, per quem, una omnium voluntate, Lex, de non contrahenda Polygamia, invecsta sit, recurrere ausit, ab hoc primum postulavero, ut, quibus eum tabulis, scriptoribus, documentis, probare velit, ostendat. Nihil enim de eo in Actibus Apostolicis, nihil in vetustissimorum Ecclesiae Doctorum scriptis, nihil in Conciliorum decretis legitur. Ipse *VVillenbergius* citato loco fatetur, *nihil de eodem in Libris Canonum Ecclesiasticorum extare*, Quibus igitur documentis huic commento, de spontaneo totius Ecclesiae consensu, fidem facturum est? Denique si a tali consensu origo prohibitionis petenda est, tum sequetur, hanc ipsam, non per *justam Legem*, sed *bonam tan-*

tum *consuetudinem* in Ecclesiam introductam fuisse, quod quidem cum Dissidentium assertione pugnat.

§. XVI. Restat ergo, ut statuamus, Polygamiam *jure divino*, ac *interne*, esse illicitam, nec eandem ideo fuisse ab initio, & constanter, prohibitam, quia Ecclesia mutuo consensu id jusfit, sed ideo jusfisse, quia eandem *jure divino* prohibitam esse, non ignoravit. Extabat enim vox DEI: *Erunt duo in carne una*: & mandatum Pauli: *Propter fornicationem habeat quisque uxorem suam, & quaelibet maritum suum*: quod utrumque perfectissimae legis exemplum, ac instar, esse poterat.

θ. II.

Accurate tamen loquendo non contrariatur Legi naturae.

§. I. Ad haec rectius intelligenda operae facturi sumus pretium, si nonnulla de juris, vel Legum, generibus praemittamus. Lex igitur generatim est *decretum Superioris, regulam agendi, vel omittendi, subjectis praescribens*.

§. II. Uti vero vis, homines ad obsequium obligandi, alia est *absoluta*, & summa, quae soli Deo, alia *temperata*, hominibusque a Deo delegata, quae magistratibus competit; ita lex in *divinam*, & *humanam*, adaequate dispescitur. *Prior*, a Dei sanctione immediate profecta, causam aliam principalem subordinatam non habet, ipso met *Arcuario Daphneo* fatente, \*) adeoque significatio est voluntatis divinae, quomodocunque facta. *Posterior* ab humana voluntate & sanctione ortum ducit, licet Deum, tanquam causam supremam, non excludat.

§. III.

\*) *In Betr. des Ebesf. p. 2.*

§. III. *Divina* denuo vel *necessaria* est, & naturalis, vel arbitraria, & *positiva*. Quae divisio in diversitate principii cognoscendi, objecti, & adjuncti, fundatur, a *Daphneo* autem l. c. & *Christ. Vigil. Warendbergio* \*) perperam explicatur. *Illa* enim est menti hominis per naturam impressa: *haec* vero per revelationem divinam promulgata. *Illius* objectum sunt actus suapte natura vel debiti, vel illiciti: *Hujus* autem, actus moraliter indifferentes, quique naturae hominis rationali nec conveniunt necessario, nec etiam repugnant. *Illa* denique mutationem ac dispensationem omnem respuit; *haec* admittit.

§. IV. Legis igitur naturae nomine hoc loco non intelligitur id omne, quod *in Lege & Evangelio scribitur*, quo significatu *Doctor Seraphicus*, ut ipse fatetur, accipit, quando \*\*) jus naturale vocat, *quod sit una unius*; sed potius jus, hominis conscientiae per naturam impressum, seu *regula naturae humanae ad dirigendos actus suos a Deo indita*: Positivi autem, quod non, nisi ex revelatione constat, & ideo obligat, quia Deo, sapientissimo Legislatore, sic placuit.

§. V. Jam quaeritur: utri praecise Legi Polygamia contrarietur? Quod utrique juri repugnet, multos nostratum statuere, *Quenstadius* \*\*\*) monet. Nominatim tamen non excitat quenquam. Et quoniam Jus naturae, ac positivum, non una, quod modo vidimus, ratione, a se invicem differunt, ac sibi mutuo opponuntur, satius erit statuere, quod pugnet cum alterutro.

§. VI. Non paucis ergo persuasum est, contrariari eam *Legi Naturae*. Affirmat hoc ipsum e *PONTIFICIIS*

C 2

ipse

\*) p. 4. \*\*) L. IV. Sent. Dist. XXXIII. Qu. I. \*\*\*) Syst. P. III. c. XIV. f. 460.

ipse *Innocentius*, Papa, \*) nec non *Thomas Aquinas*, \*\*) cui loco cit. saltem sub conditione, applaudit *Bonaventura*. Sigillatim *Nic. de Lyra*, \*\*\*) *Matrimonium*, inquit, *individuum vitae consuetudinem retinet, i. e. indivisibilitatem quoad totam vitam* &c. *Sicut natura dicitur in aliis animalibus, quo masculus & femina inseparabiliter cohabitent tempore determinato a natura, in generatione, & educatione filiorum; ita dicta in natura hominum, ut vir, & uxor inseparabiliter cohabitent per totam vitam: & sic probatur, quod indivisibilitas matrimonii non solum est de jure divino, sed etiam de jure naturali* &c. Accedunt *Bellarminus*, a) *Gregor. de Valentia*, & alii. *Pererius*, b) & *Becanus* c) hic temperamento utuntur, & Polygamiam, *sub conditione, & aliquo modo*, qua finem matrimonii ac foecunditatis, non tamen simpliciter, & absolute, Legi naturae contrariari, scribunt.

§. VII. E REFORMATIS idem statuunt *P. Vermilius Martyr*, d) nec non *Theodorus Beza*, e) qui, dum ad *Bernb. Ochini*, pro Polygamia defendenda rationes, nervose ac breviter respondet, omnem prope refutationem *Willenbergii*, & *Halensium*, occupavit, f) & *David Pareus*. g) Sigillatim *Andreas Rivetus*: h)

Nos,

\*) Cap. Gaudemus, de divortii. \*\*) P. III. L. IV. Sent. Qu. LXV. Art. I. \*\*\*) in Cap. XIX. Matth. a) L. I. de Matrim. c. I. b) in Gen. c. 29. Disp. 6. f. 797. b. c) in Man. L. IV. c. 6. p. 656. d) ad 2. Sam. XXV, 48. e) in Lib. de Polygamia & divortii, T. II. OO. f) Videatur sigillatim Tomus II. OO. f. 3. sq. ubi legem naturae adulteria & divortia prohibentem, etiam Polygamiam evertere contendit. g) Comment. in Gen. c. XVI. p. 1176. h) In Gen. c. IV. Exerc. XLV. p. 223.

Nos, inquit, cum iis sentimus, qui judicant, Polygamiam simultaneam semper fuisse illicitam, utpote juri divino, & naturali, contrariam. Imo \*) hanc opinionem hoc tempore pene communem esse, scribit, inter eos, qui se Christianos profitentur.

§. VIII. E NOSTRIS sane, praeter Ill. Pufendorfium, quem in hanc propendisse opinionem, dubium vix est, Theologi eidem adstipulantur David Rungius, \*\*) Tarnovius, \*\*\*) Jac. Martini, a) Gerbardus, b) Dannbauerus, c) Siricius, d) recentissime Fagerus, Theol. Tubing. e) Stolzius, f) ac illi denique omnes, qui Legem Dei positivam universalem negant, utpote J. Gv. Bayerus, g) D. J. M. Langius, alique.

§. IX. Nos equidem allatas a Villenbergio h) causas, quod nempe finis matrimonii in Polygamia non minus obtineatur, quam in monogamia, scilicet procreatio sobolis, Patris & matris certa demonstratio, & quod unus Paterfamilias judex & arbiter dissensionum domesticarum esse possit, ad ostendendam Polygamiae cum jure naturae pugnam sufficere, dubitamus. Accurate tamen subductis rationibus, in eam propendemus sententiam, juri naturae, proprie tali, Polygamiam non adversari, sic tamen, ut nonnullam hic distinctionem adhibendam esse, putemus.

C 3

§. X.

\*) l. c. p. 224. b) \*\*) in Gen. c. II. p. 51. & XXXI. p. 955. \*\*\*) de Conj. L. II. c. 20. p. 625. a) in Polit. p. 58. b) de Conjugio n. 2. 5. c) in Coll. Decal. p. 775. d) in uxore una. c. 2. p. 45. e) in Dissert. de Concub. p. 26. f) de Concub. p. 5. g) in Comp. Theol. Mor. P. III. c. 2. §. 12. p. 147. h) de fin. Polyg. lic. p. 12.

§. X. Primo enim 1) Jus naturae est doctrina, menti humanae naturaliter indita, suggerens principia practica, quibus actus honestus praecipitur, turpis vetatur. Nihil autem hujus natura suggerit, marem non posse legitime pluribus feminis sociari. Imo vero, quum inter mares non desint, qui, pro conditione temperamenti, plures sibi uxores exposcere videantur, relicta sibi ratio dicitur contrarium. Deinceps 2) si per naturam constaret, Polygamiam esse prohibitam, nil opus fuisset, ut DEVS, in prima conjugii institutione, legem de *monogamia*, saltem *virtualiter*, sanxisset. Quicquid enim ex ratione constat, id ex revelatione demum innotescere non debet. Porro 3) Jus naturae disponit de actibus sua natura, per se, & intrinsece, moralibus, quorum honestas & turpitude, ab alterius voluntate, ac praescripto, non pendet, sed in ipsius objecti, & circumstantiarum conditione, fundatur. Plures autem uxores habere natura sua turpe esse, ostendi vix poterit. Tum vero 4) quia Christus ipse de divortiis, & ex iisdem oriunda Polygamia, responsum, non ad legem naturae, aut rationis dictamen, sed primam institutionem Conjugii se recepit, minime id facturum, siquidem natura etiam de numero personarum in matrimoniis quidpiam definiret, quum controversiae ad regulam sibi convenientem sint exigendae. 5) Quia Polygamia neque Creatoris Opt. Max. sanctissimae, rectissimaeque, naturae, neque hominis ipsius vel rationalitati, vel socialitati, repugnat. 6) Quia, etsi Polygamia cum primigenio matrimonii exemplo non convenit, naturam tamen ejus, quod recte monet *Reinbeckius*, \*) perfecte non destruit, nec finibus conjugalis societatis contrariatur. 7) Quia DEVS peccata contra

\*) *von Natur des Ehest.* p. 17. 18.



contra legem Naturae commissa, etiam in gentilibus severissime taxavit, *Rom. I. & II.* Polygamiam vero in iisdem damnasse, non legitur. Quin hoc, salva veritate, *Hier. Brücknero* \*) possumus dare, quod nullius mariti cum pluribus uxoribus simul inita conjugia vel adulterii, vel fornicationis nomine infamentur in Scripturis, sc. Vet. Instrumenti. 8) Quia nemo vel metum, vel sensum, poenae alicujus, ob Polygamiam, in conscientia expertus dicitur, ex eoque patet, nullam cordibus ipsorum legem de vitanda Polygamia inscriptam esse. 9) Quia ipsi Dissidentes, cum *Andr. Riveto* \*\*) fatentur, Polygamiam Legi Naturae non *intrinsece*, & quoad *speciem naturalem*, sed solum, quoad *aliquid adjunctum*, contrariari. 10) Quia alioqui circa eam ne quidem ab ipso Deo dispensatum fuisset, quem tamen in Patriarchis olim dispensasse infra visuri sumus. Denique 11) adstipulantur nobis e Patribus *Augustinus*, \*\*\*), e Pontificiis *Durandus*, a) & *Alphonsus Tostatus Abulensis*, *Laymannus*, b) *Mich. Medina*, *Aegidius*, *Veracrux*, & alii, magno numero a *Laymanno* citati. Sigillatim *Cardinalis Cajetanus*, c) *jure naturae*, inquit, *pluralitas uxorum non est prohibita*. Denique *Thomasius* ipse d) Bigamiam nec cum jure naturali, nec cum aequitate naturali, aut recta ratione, pugnare putat, idque sibi videtur tum a priori, tum a posteriori, ostendere posse.

§. XI. Quae invicem a Dissidentibus pro incrustanda sua sententia afferuntur, leviora fere, ac facile dilu-

\*) In Dec. Cauf. matrim. c. XIII. §. 27. \*\*) in Gen. p. 226. \*\*\*) L. XVI. de Civ. Dei c. 38. & L. XXII. c. Faustum c. 47. a) in IV. Sentent. Distinct. 33. qu. 1. b) Th. Mor. L. V. Tr. X. P. III. c. V. p. m. 429. c) in Gen. c. XVI. d) de Crim. Big. §. 24. p. 19.

luenda sunt. *Bonaventura* \*) scribit, quod, ut, caedem naturaliter horreamus, ita quoque multitudinem mulierum innato quodam odio detestemur. Sed nescit innatum illud odium, nescit insitum horrorem, natura. Si tantopere polygamiam aversaretur relictus sibi homo, cur ad eam contrahendam tam faciles se praebuissent sanctissimi Patres, cur nunc etiam, qui enixissime expetant, non deessent?

§. XII. Nam nec illud alicujus momenti est, quod *Pareus* \*\*) urget: *Legem conjugii esse Decalogi*, cui quia contrarietur Polygamia, hinc, eandem pugnare cum lege naturae. Nec enim simpliciter quod est Decalogi, est quoque juris naturae, & quod est contra Decalogum, est contra jus naturae. Sanctificatio septimae in hebdomade diei olim erat Decalogi, & profanatio ejus contra Praeceptum tertium: Nec tamen erat propterea contra *jus naturae*, sed potius contra *jus positivum*, illudque *particulare*, quoniam alioqui cessare in N. T. non debuisset. Quidni ergo etiam *suo modo Decalogi* esse possit, quod alioqui *per se*, est *juris positivi universalis*? Sufficit, quod Decalogus in Praec. VI. omnem omnino *illegitimam maris, & feminae conjunctionem* prohibet, sive sit illegitima respectu *Legis naturae*, sive sit illegitima respectu *Juris divini positivi*.

§. XIII. Quae de cetero, a *Pareo*, ac *Riveto*, locis supra citatis, producta sunt, ea tantum non omnia Polygamiam *prohibitam* quidem esse ostendunt, at *lege naturae prohibitam* esse, non evincunt. Addo, non omnia esse legis naturae, quae *analogice* tantum ad eam referri possunt. Quicquid enim juris naturae esse debet, id non solum in eodem *quoquo modo* fundatum, sed etiam ab eodem *determinatum* esse oportet. Atqui duos praecise, non plures,

in

\*) l. c.    \*\*) ad Cap. XVI. Gen. p. 1176.

in unam carnem coire oportere, non praecise determinat natura, ut *longe decentius, juxta & utilius*, esse dicitur, *unum una esse contentum*, ut *Pufendorfius* censet. \*)

§. XIV. *Gerhardus*, valde alioqui *Noster*, \*\*) *ad saniorum gentium testificationem, ac finium matrimonii enumerationem*, se recipit. Vereor autem, ut utrique argumentorum generi multum roboris insit. Quod enim ad prius spectat, *e consensu gentilium, nec justitia, nec injustitia causae ostendi potest*, ut recte *Zieglerus* *Noster* observat. a) Vim quoque argumenti contraria exemplorum inductione, & nullo prope negotio, dejicere possumus. Fines autem matrimonii per polygamiam simpliciter everti, minime largimur. Quum enim Polygamia *naturam* conjugii, quod supra notatum fuit, *directe* non destruat, qui *fines* conjugii evertet?

§. XV. Speciosiora sunt, quae de *Zelotypia* feminarum, *Gerhardus*, & *de parium pari conditione*, cum *Gerhardo*, *Rivetus*, aliique, urgent. Prior enim docet: *Zelotypiam tum feminis, tum viris, innatam esse*, quem quidem affectum *neutrorum animis indidisset natura, siquidem plures connubiis sociari per naturam liceret*. Sed enim primo non omnis Polygamia Zelotypiam necessario generat. Namque nec *Sarai*, erga *Hagarem*, nec *Lea* & *Rahel*, erga *Zilpam* & *Billham*, ulla *Zelotypia* tactae, sed potius easdem sibi matrimonii consortes gratulae, videntur. Deinceps, *Zelotypia* nonnunquam inter *corrivales*, necdum confecto matrimonio, quin & aliquando in adulteris, adversus legitimos maritos, se exerit. Quod ad *alterum*, concedimus quidem, quum uxor corporis sui pote-

D

statem

\*) de Off. hom. & Civis L. I. c. 2. §. 5. p. m. 212. \*\*) L. de  
Conj. n. 215. p. m. 318. a) ad Grot. in Proleg. n. 40.

statem non habeat, nec maritum eandem habere posse. Sed enim, quod *jure naturae* potestatem illam non habeat, vel habere possit, hoc est, quod negamus. Mas enim *etiam in statu integritatis*, potioris fuit conditionis, quam femina, quum non mas feminae, sed femina mari, originem suam debeat, nec Adam fuerit seductus, sed Eva, \*) & imago DEI ampliore gradu refulserit in Adamo, quam Eva, \*\*) Et licet *subjectio feminae, ob sanctam harmoniam voluntatum, & concordiam*, non invita, difficilis, aut molesta, uti post lapsum, sed voluntaria, facilis, & per jucunda fuisset; tamen & ante lapsum *vir caput mulieris fuit*, I. Cor. XI, 3. tum ob eminentiam aliquam viri prae muliere, quae a viro desumpta, tum ob potestatem aliquam in eandem, quum & in angelis throni sint, & potestates, Col. I, 16. \*\*\*) Ratio ergo non suggerit, marem corporis sui potestatem non magis habere posse, quam feminam, quum nil obstat, quo minus, *hac etiam in parte*, potiori sexui aliquid praecipui sit relinquendum prae sequiori, atque adeo illa, *de pari parium conditione* inter conjuges, regula, non in *jure naturae*, sed *voluntate divina*, per primam conjugii institutionem *declarata*, quaerenda sit.

§. XVI. *Dannbauerus*, a) cumulatim propemodum argumentis, negat, videri sibi, Legem de vitanda Polygamia fuisse tantum legem positivam; sed videri probabilius naturalem, immutabilem, ac indispensabilem, quia, perinde, ut scortatio, pugnet contra sanctitatem DEI, adeoque intrinsecam, DEOque exosam, habere malitiam: pugnare contra ipsam essentiam conjugii, ipsam, scilicet materiam, quae duabus tantum personis constet,

,,&

\*) I. Tim. VI, 9. \*\*) Vid. Calov. in Isag. ad Theol. c. III. p. 47. \*\*\*) Calov. in Gen. c. III, 16. p. 425. a) In Coll. Decal. p. 770.

„& formam, quae unionem adaequatam, & prorsus in-  
 „dissolubilem, requirat.

§. XVII. Negamus autem 1) Polygamiam intrinse-  
 cam habere malitiam, ob eamque pugnare cum sanctitate  
 DEI. Sequeretur enim, eam nullo unquam tempore,  
 nec ullo in subjecto, nec ullis sub conditionibus, & cir-  
 cumstantiis, ac ne *dispensando* quidem, licitam fieri po-  
 tuisse, quod tamen falsum esse, suo loco monstrabitur.

§. XIX. Negamus 2) pugnare contra ipsammet *es-  
 sentiam conjugii*. Hanc enim sola conjunctorum dualitas  
 non exhaurit. Alioqui scortatio etiam foret conjugium,  
 quoniam in hac etiam non plures junguntur, quam  
*duo*, &, qui agglutinatur scorto, *unum, cum ea, corpus*  
*est*. a) Nec per conjugium ideo duo in una sunt,  
 quoniam per essentiam conjugii aliter fieri non potuit, sed  
 quia DEVS per legem, & institutionem suam, aliter fieri  
 prohibuit.

§. XIX. Quod ad 3) attinet, damus equidem,  
 formam conjugii unionem adaequatam, & prorsus indif-  
 solubilem, requirere, at, ideo requirere, quod per natu-  
 ram conjugii aliter se habere non possit, hoc denuo dif-  
 fitemur. Unio enim illa indissolubilis, & adaequata, non  
 fluit ex ipsa *duorum in unam carnem coalitione*, alioqui se-  
 queretur, etiam scortationem esse indissolubilem; sed ex  
*voluntate DEI sapientissima*, dissolutionem vinculi conju-  
 galis simpliciter prohibente. Unde rationem indissolubi-  
 litatis redditurus Servator, non ad quandam *naturae le-  
 gem*, sed *primam institutionem*, tanquam voluntatis divi-  
 nae indicem, se recepit, b) quum ait: *quae DEus con-  
 junxit, homo ne separet*. Ut adeo *frustra esse omnes eos*,

D 2

ac

a) 1. Cor. VI, 16. b) Matth. XIX, 6.

ac oleum & operam perdere, qui bigamiam naturali ratione prohibitam esse evincere, ac turpitudinem ejus, etiam citra prohibitionem divinam positivam, demonstrare, conati fuerint, Collega Noster honoratissimus, idemque Juris hac in Academia celeberrimus Antecessor, D. M. Henr. Griebnerus, a) recte, meritoque, censuerit.

ß. III.

Adversatur tamen divinae generis humani creationi, primaeque Conjugii institutioni.

§. I. Ultraque describitur *Gen. I, 27. & Gen. II, 18. 21. sq.* ac nostrae confirmandae sententiae argumenta suppeditat, tum numero plurima, tum pondere, ac momento, gravissima.

§. II. Exhibet enim 1) DEI, conditoris, consilium, ac intentionem. Quae ipsa respiciebat *adjutorium*, non quaecumque, sed cujusmodi jam aderat brutis animalibus, & feminae alicujus creationem postulabat, denique ad multiplicandum genus humanum, & procreandam sobolem, requirebatur. Hinc Dominus dicebat: *Non est bonum, hominem esse solum, faciamus ei adjutorium coram ipso.* (b) Ad hunc obtinendum finem, quae, & quot numero, requirerentur *media*, nemo rectius nosse poterat, quam DEVS, qui jam tum in hoc universo sapientissime omnia disposuerat. Hic vero sua pro sapientia hoc quoque intelligebat, homini, nullo non tempore, unam feminam pro adjutorio, ad sui multiplicationem, posse sufficere. *Non enim adjutorium, sed adjutores, dixisset, si pluribus eum feminis destinasset, ut ait Tertullianus.* c)

Et

a) In Disp. de intercess. Conjugis in delictis carnis §. LIII. 44.  
b) Gen. II, 18. c) de Monog. c. IV. f. m. 527.

Et sane, si unquam, certe tum temporis, videri potuisset, pluribus feminis, ad obtinendam generis humani multiplicationem, homini opus esse. Nec tamen DEVS *adjutoria*, sed *adjutorium*, nec unum marem, & multas feminas, sed *unum marem, & unam feminam*, initio condidit, manifesto indicio, nolle DEVM, uni mari plures, quam unam, feminas, in adjutorium, qua procreationem suae sobolis, adesse. *Quot enim adjutoria*, ut sic loquamur, *personalia*, DEVS *in viri gratiam t. t. creavit, quum iis ob multiplicationem generis humani praecipue opus esse videretur, tot etiam deinceps, ad eundem illum finem obtinendum, perpetuo voluit cum maribus conjungi.* Si enim pluribus, ad praestandum adjutorium, opus esse putasset, plura etiam condidisset. Atqui *non nisi unum adjutorium personale in Adami gratiam condidit*: Ergo.

§. III. Exhibet 2) Maris unius, & feminae unius, creationem. Creavit enim DEVS hominem ad imaginem, & similitudinem suam: *Masculum & feminam fecit eos. Gen. I, 27.* Non masculum, & multas feminas, ut uni masculino liceat plures feminas possidere: neque masculos, & feminam, ut uni feminae liceat plures viros accipere: sed masculum & feminam, ut una femina nullum masculum putet factum esse, in seculo, praeter unum: & ut unus masculus nullam putet feminam esse factam, in seculo, nisi unam, ut loquitur auctor *Op. Imp. in Matthaeum.* a) Haec creatio, uti de perpetua Dei voluntate, *qua numerum personarum, matrimonio jungendarum*, testatur; ita *virtualiter* saltem, continet Legem. Si enim hominis conjugio convenire putasset DEVS pluralitatem uxorum, plures etiam ab initio creasset, & cum Adamo

a) Homil. 32.

junxisset. *Quot igitur numero personas DEVS ad multiplicationem generis humani, conjugio copulandas, creavit, tot numero etiam personas voluit deinceps perpetuo in matrimonio coniungi.* Atqui duas, non plures, numero personas conjugio copulandas creavit: E.

§. IV. Sistit 3) *Feminae ex Adami costa productionem.* DEVS enim adiutorium homini conditurus, soporem ei immisit: & *desumpta una de costis ejus, includit carnem pro illa: extruxitque Jehovah DEVS ex costa illa, quam sumpserat de Adamo, mulierem. Gen. II, 22.* Noluit itaque DEVS primam feminam aliunde, quam ex ipso mare, ad quem deinceps per matrimonium reditura erat, & ejus quidem costa, depromere. *Quid autem hoc sibi vult, quod, cum DEVS posset mulierem, aequae ac virum, formare de limo terrae, maluit costam viro subducere, eamque in mulierem aedificare?* quaerimus cum *Ruperto Tuiensi.* a) Et respondemus cum eodem: *quid hoc voluit, nisi ut firmam, & indissolubilem debere esse, ostenderet initi conjugii charitatem.* Sed & illud notabile est, quod nec ab uno multas, nec a multis multas, sed ab uno viro unam costam, & eo quidem sine, ut ex eadem uxorem viro aedificaret, petiit. Accepit ergo DEVS a viro costam quodammodo informem, ut in femina ei multo formosorem redderet, rediretque adeo ad virum, quod ante fuerat suum, vel, ut *Cyprianus* loquitur, *rediret in unum, quod ante fuerat unum, & caro carnibus, os ossibus, denuo jungeretur.* *Quot igitur costas a viro DEVS, in gratiam condendae feminae, petiit, tot etiam feminas ad eundem per conjugium redire semper voluit.* Atqui unam costam a viro DEVS petiit, ex eaque feminam aedificavit: Ergo. Belle, ut

a) In Genesin Lib. II. c. 33. P. I. OO. p. 45.



„ut solet, *Tertullianus* : Ipsa origo humani generis (Monogamiae) patrocinator, contestans, quid DEVS ab initio constituerit, in formam posteritatis recensendam. „Nam cum hominem figurasset, eique pacem necessariam prospexisset, unam de costis ejus mutuatus, unam illi feminam finxit, cum utique nec artifex, nec materia, defuisset. *Plures costae in Adam, & infatigabiles manus in DEO; sed non plures uxores apud DEUM.* a) Unam igitur de costis sumpsit, & ex ea, non nisi unam, homini uxorem fecit, quin & in domum, in qua generaret, extruxit. *Aedificasse enim quum dicitur, similitudo, & usus structurae, & aedificii innuitur, & quod mulier viro pro domo esse debeat, indicatur,* uti rem *B. Calovius* graviter declarat. Sicut igitur homo suis in aedibus ordinarie habitat; ita etiam vir, genus suum propagaturus, in uxore, quam ejus in gratiam aedificarat DEVS, velut in domo quadam, perpetuo commorari debebat.

§. V. Notamus 4) Numeri singularis crebram repetitionem. DEVS unum adjutorium homini destinavit: unam feminam, perinde ut unum marem, condidit: unam costam ab Adamo petiit: unam feminam ex eadem extruxit: unam in femina Adamo reddere voluit: unam uxorem ad eundem adduxit: uni virum adhaesurum praedixit. Quid aliud ex eo inferemus, quam uni viro unam feminam per conjugium sociari debere? Praeclare, ut solet, *Hieronymus*: Primi hominis creatura nos doceat, plures nuptias refutare. Unus Adam, & unus „Eva, imo una ex eo costa separatur in feminam. Rursumque, quod divisum erat, nuptiis copulatur, dicente „Scriptura: Erunt duo in carnem unam, non in duas, „nec

a) In Exhort. ad Cast. f. 578.

„nec in tres. Propter hoc homo relinquet Patrem, & matrem, & adhaerebit uxori suae, certe non uxoribus, Quod testimonium Paulus edifferens, ad Christum refert, & ad Ecclesiam, ut primus Adam in carne, secundus in Spiritu, monogamus sit. a)

§. VI. Observamus 5) Viri ad uxorem adhaesio- nem. Relinquet enim homo patrem & matrem, & adhaerebit uxori suae. Gen. II, 23. Non pluribus dicitur adhaesurus, sed uni: Adhaerebit uxori suae, certe non uxoribus: quae modo citati Hieronymi sententia est. Quo pacto simpliciter polygamia excluditur. *Omnis enim legitimus maritus debet uni uxori adhaerere, non pluribus: Polygamus autem non uni adhaeret, sed pluribus: E. polygamus non est legitimus maritus.* Sed nec vocabuli  $\pi\rho\sigma\omicron\nu\lambda\lambda\acute{\alpha}\delta\omicron\iota$ , qua Matthaeus, cum LXX. Interpretibus, Ebr.  $\text{קרב}$  reddidit, hic omittenda vis est. Idem enim est proprie, quod *agglutinari*. Jam, sicut qui ab una parte agglutinatus, rei alicui adhaeret, non potest ab eadem parte alteri, nisi a priore revulsus, agglutinari; ita, qui per conjugium, ratione affectus, & copulae maritalis, uni uxori velut agglutinatus est, alii cuidam, nisi priore glutine remoto, & rupto, quod DEVS ipse ligarat, vinculo, sociari non poterit.

§. VII. Notamus 6) Disertam duorum ad conjugium determinationem. Erunt duo in carne una: Gen. II, 23. *Matth. XIX, 6.* Etsi enim, suo cum Brücknero, b) Villenbergius excipit: *In lege conjugiali primaeua unitatem uniendorum, non certum illorum numerum inculcari: de duobus in textu nihil legi: non igitur pluralitatem femi-*

a) Vid. Epist. ad Gerontium T. I. f. 56. b) in Decif. Matrim. c. XIII, p. 455.

*minarum* h. l. interdici, *sed* vinculi conjugalis indissolubilitatem *inungi* &c. Sufficit tamen, quod *binarius* unien-  
 dorum numerus in prima conjugii institutione, saltem *virtualiter*, continetur. Ideo enim non nisi *duos*, ma-  
 rem nempe, & feminam, condiderat DEUS, quia non nisi  
 duos volebat matrimonio conjugii: nec plures etiam,  
 quam duos, *Adamum* nempe & *Evam*, in textu nominat  
 Moses, denique, ne quis de numero dubitet, Christus, pri-  
 mam institutionem conjugii allegando, sensum supplevit,  
 & verba oī dō inferuit, & quod antea *virtualiter* inerat  
 in textu, *formaliter* expressit. Imo vero, res ipsa ostendit,  
 quod cum pluribus simul una quis caro esse non possit.  
 a) Nam illud de pluribus conjugii in polygamia con-  
 currentibus effugium, nec *dualitatem personarum*, nec *unitatem carnis*,  
 inter conjuges intemeratam relinquit, sed  
 potius & *personarum*, & *carnis pluralitatem* infert. Qui enim  
 quis sua cum uxore maneat *una caro*, ubi cum *alia*  
 quadam in unam carnem denuo coalescit: & qui manent  
*duo* in una carne, quando & *una* & *altera*, cum *eodem*,  
 fiunt *una caro*? Simulac igitur alter e *duobus* illis cum alio  
 quodam, citra dispensationem divinam, una caro fit,  
 is cum priore una caro esse *desinit*, & ea, quae DEVS  
 conjunxerat, ab homine separantur.

Urgetur: *Etiā Polygamum semper esse cum uxore in una carne, quoniam in Polygamia plura sint matrimonia, de quibus singulis valeat, quod sint duo in carne una.* Sed resp. Respectu unius hominis, in utroque sexu, Deus, vi Legis suae, uno eodemque tempore, non nisi *unum matrimonium* vult obtinere. Per illud enim: *Erunt duo in carnem unam; & dualitas personarum est determinata ad unam carnem: &*

E.

*unitas*

a) Beza de divort. f. 214.

*unitas carnis* est determinata ad *duas personas*, ita, ut nec *plures* personae coalescere debeant in *unam* carnem, nec *unitas* carnis occurrere debeat, nisi inter *duas*, & *easdem numero*, personas. *Unus* ergo vir debet *unius* uxoris esse maritus: & *una* femina *unius* mariti uxor. Ille debet habere *uxorem propriam*, i. e. nulli alii viro cohabitantem: haec *proprium maritum*, i. e. cum nulla alia femina consuescentem. I. Cor. VII. 2. Neque vero Polygamus, citra dispensationem, manet sua cum uxore in una carne, quod modo monuimus: Ubi enim plura sunt matrimonia, ibi non duo, sed plures sunt in una carne. Denique repugnat τὸ ἕσονται, quod continuationem non interruptam infert. At ubi mas plures sibi feminas jungit, non semper manet unus cum una, & *idem* cum *eadem*, in una carne. ¶

Opponit huic Brücknerus: a) *Si scortator cum omnibus scortis, cum quibus carnaliter miscetur, absque stipulatione perpetuae cohabitationis, tamen fit una caro, teste Paulo I. Cor. VI, 1. 6. quanto magis maritus cum tot uxoribus, quot ad perpetuam cohabitationem asciscit.* Sed enim non quaeritur: an maritus cum *nova* conjugee una caro fiat, sed an ita fiat, ut cum *priore* una caro *maneat*. Quod nego. Quoniam alioqui pars laesa discedere a marito non posset. Neque vero, quod Brücknero persuasum est, parum considerate statuitur: *Per novam scortationem solvi unitatem carnis.* Uti enim per fornicationem unitas carnis omnino asciscitur; ita, si quis cum alio quodam scorto una caro fiat, prior carnis unitas utique removetur. Fornicator autem hoc ipso peccat, quod, etsi cum uno scorto in unam carnem coaluit, in ea tamen non manet, nec manere intendit, sed cum alio atque alio, &

a) Brückn. I. c. p. 458.

& iterum, iterumque, fit una caro. Nunquam enim, de jure, duo debent una caro fieri, nisi velint etiam una caro manere, juxta illud: *Erunt duo in carne una.* Quod autem Brücknerus quaerit: *Ubinam Deus arbitrio adulterorum, aut scortatorum commiserit, unitatem carnis cum Conjuge innocente per adulterium aut fornicationem solvere?* Id, meo judicio, parum considerate quaesitum est. Non enim an DEVS arbitrio adulterorum, aut scortatorum, solutionem unitatis commiserit; adeoque illi potestatem solvendi *de jure habeant*, sed an sibi aliquando *de facto sumant*, quaeritur. Quod quidem asseverare non dubito, quoniam alias frustra dixisset Dominus: *Quae Deus conjunxit, homo ne separet. Matth. XIX, 7.* Maritus certe separat, quum adulterando unitatem carnis cum Conjuge sua contractam, solvit. Scortator autem cum scorto una caro *de facto* esse incipit; *de facto* esse desinit.

Urgetur: *Mosen, & Salvatorem, nisi de uno Conjugum pari loqui non potuisse, in statu, quo non amplius, quam unum Conjugum par in mundo esset.* Sententia huc redit: *In paradiso non nisi duos potuisse conjungi: nunc plures posse.* Sed jam suo loco est observatum, ideo non potuisse plures conjungi, quia DEVS non nisi duos condiderit, ideo autem DEum non nisi duos condidisse, quia non nisi duos matrimonio copulari voluerit. Ceterum verba illa: *Et erunt duo in carne una*, de omnibus matrimonium contracturis, intelligenda esse, denuo Adamus ipse nos monet, quum haec verba praemittit: *Quare deseret homo patrem & matrem, & adhaerebit uxori suae.* Hoc enim de posteris Adami, non ipso Adamo, accipiendum esse, hinc patet, quod Adamus nec habuerat, nec unquam habiturus erat, parentes. Sed enim, pergit Brücknerus: *cum sermo ille (erunt duo in carnem unam) Legem, & regulam*

contineat omnium, & singulorum matrimoniorum, etiam de omnibus, & singulis, quae modo cunque Scriptura matrimoniorum nomine dignetur, etiam Bigamicis, & Polygamicis, verum esse, oportet. Nos respondemus: A regulis ad exempla non semper licet argumentari. Haec enim semper quidem de jure debent regulis respondere, aliquando tamen ab iis deflectunt. Demus igitur: Sermonem illum Adami regulam esse, ac legem, omnium promiscue matrimoniorum, quoties illa sunt *contrabenda*: Propterea non sequitur, Bigamica & Polygamica matrimonia ad illius Legis praescriptum *reapse contracta* esse. Vera enim, in Bigamicis & Polygamicis matrimoniis, quoties quis cum nova uxore factus est una caro, cum priore debuit desinere esse una. Quodsi vero non desit, sed potius, aliquando, concurrentibus licet matrimoniis, singulis sua rectitudo constitit, id non a voluntate Dei *ordinaria*, & per *Legem* significata, sed *extraordinaria*, & per *dispensationem* declarata, est derivandum.

§. VIII. Cetera, quae *Brücknerus* argumentis a prima institutione depromptis opposuit, uti fere *VVillenbergius* omnia bona fide recoxit; sic a DuumViris illis, *Schêlgruvigio*, & *VVeikbmanno*, atque hoc inprimis, a) tam nervose, ac solide sunt discussa, ut perpetuum hac in re otium nobis videantur fecisse. Unum tamen, quod non sine specie quadam *Brücknerus* b) affert, quin obiter hoc loco refutem, facere non possum. Monet nimirum, male ad institutionem Conjugii primam a nobis provocari, propterea, quod eadem facta sit in *paradiso* & *statu innocentiae*, quo tempore nec *natura* hominis, nec *lex*

*in*

a) Vid. *Justitia Causae*, & hujus *Apologia*, passim. b) l. c. cap. XIII. p. 488.

*in natura*, fuerit corrupta. Tum igitur naturae hominis, nondum ad libidinem proclivi, unam sufficere conjugem potuisse; nunc non posse: Tum temporis quoque primarium Conjugii finem fuisse *procreationem sobolis*, nunc restrictionem incontinentiae, ac *libidinis*. At enim, si lapsus & corruptio hominis eum liberare potest ab obligatione Legis, qui factum, quod Servator, utriusque minime ignarus, homines nihilominus ad hanc ipsam institutionem, velut sempiternam conjugii regulam, remisit, omnesque matrimonii rationes ad illius initia revocavit? *Matth. XIX, 6.* Cur *Brücknerus* ipse disputat ex hac Lege, & argumenta pro indissolubilitate depromit, si naturam hominis, in statu lapsus, non obligat? Sed mitto ista, & ad auctoritatem institutionis divinae considerandam me confero.

## θ. IV.

Atque hanc quidem pro lege divina, positiva, eaque universali, habemus.

§. I. Lex Dei, generatim loquendo, est *declaratio voluntatis divinae, cum obligatione creaturae rationalis conjuncta*. Dividitur primo in *naturalem, & positivam*. Illa ex sanctitate; haec voluntate Dei oritur: Illa intrinsece vel bona, vel mala; haec extrinsece talia vel jubet vel prohibet. Hinc *Rörensens*, exquisiti, dum viveret, Vir iudicii, positivam describit, quod sit ea, *quam divina Majestas, pro liberrima sua voluntate, imposuit homini, ad determinandos ejus actus, qui cum natura ipsius rationali, ac sociali necessariam connexionem non habent a)*.

§. II. Haec ipsa vero denuo in *universalem, & particu-*

E 3

ticu-

a) Prud. Mor. P. III. c. 2. n. LV. p. 279.

*iculari*, dispescitur. *Illa* se extendit ad univcrsum genus humanum, quippe quae data, & promulgata est vel omnibus hominibus, vel certis personis, totum genus humanum repraesentantibus, adeoque vel primis parentibus in paradiso, vel Noachidis post diluuium. *Particularis* est, quae a Deo genti Ebraeae praescripta fuit, respexitque vel *ritus* in cultu Dei externo, ac Levitico observandos, quae vulgo *Ceremonialis* vocatur; vel *republicam*, & forum Judaicum, unde *Forensis* dicitur.

§. III. Etsi vero huic distinctioni, *Brückneri*, ut videtur, auctoritatem secutus, parum, aut nihil, *D. Langius*, Inspector Prentzlaviensis, a) tribuat, & eos, qui ad eam se recipiunt, taxet, propterea, quod, eam gentibus omnibus promulgatam fuisse, ostendi e Scripturis non possit; credo tamen, hoc ipsum citra difficultatem praestandum esse. Enimvero, *Thomasii* ipsius iudicio, ad Legem positivam universalem tria requiruntur, 1) ut Scriptura doceat, aliquem actum vetitum, aut praeceptum esse. 2) Quod praeceptum toti generi humano sit datum. 3) Ut Lex illa non possit ex convenientia, vel disconvenientia, cum natura hominis rationali, & sociali deduci. Quae omnia ad hanc, illamve, Legem Domini possunt accommodari, e. g. de non comedendo fructu arboris scientiae boni & mali. Quam profecto ad Legem naturae vix quisquam apte retulerit, cum prohibeat actum in se, suaeque natura, *licitum*, instituendum scilicet circa creaturam, ipsius Conditoris iudicio, valde bonam, nec pugnantem, vel cum natura hominis rationali, vel etiam cum ejus socialitate, *illicitum* tamen de voluntate Dei, in personis primorum parentum, universo generi humano, (quod vel e sola poenae divinae ad

a) Tr. de divortiis Diff. II. p. 70.



ad illud dimanatione liquet,) significata. Quae omnia contra *Brücknerum*, & alios Dissidententes, pluribus tum rationibus, tum exemplis, comprobari possent, dum instituti ratio pateretur. Quum enim Leges de gradibus in matrimonio contrahendo prohibitis, *Lev. XIX.* gentes omnes obligasse *Langius* ipse, nec male illud, statuatur, circa easdem vero, e. gr. qua conjugium fratris & sororis, aliquando a Deo dispensatum fuisse, negari non possit, dispensatio autem, Dissidentis ipsius iudicio, in Legem naturalem non cadat, annon inde necessario sequitur, easdem, si non omnes, certe plerasque omnes, pro *Legibus positivis divinis*, iisque *universalibus*, habendas esse.

§. IV. Unum illud hoc loco non esse praetereundum video, talia nonnunquam legibus positivis inesse, quae vel ab ipsa ratione quodammodo suggeri, vel etiam a statu hominis sociali exigi videantur. Enimvero haec, praeter qualemcunque cum Lege naturae convenientiam, aut *generalem* in ea *fundationem*, nil inferunt. Ad ipsam igitur Legis positivae *universalis* negationem non magis sufficiunt, quam olim, ad inficiationem Legum positivarum *particularium* apud Israelitas, sufficere poterat, quod omnia Legi Forensi, & Ceremoniali, contraria, tandem desinebant in peccata contra Decalogum, quippe qui absolutam ab hominibus erga Deum obsequium, quibus demum cunque legibus exigatur, requirit.

§. V. Merito igitur hanc distinctionem magnus ille *Grotius*, & primus, nisi fallor, adduxit, quippe cuius beneficio e multis difficultatibus emergere nos posse *Heunischius*, a) & *Schwarznavius* b) non male existimarunt. Probant quoque illam ac laudant *Hülsemannus*, *Scherzerus*, *Ziegler*

a) In dist. t. Phil. t. Theol. Loc. X. Qu. 3. Dist. 6. p. 223. b) Syst. Theol. Loc. X. ad Antich. I. dist. 9. p. 49.

Zieglerus, Kulpisius, Diccmannus, G. Koenigius, Rörenseus, aliique, longa serie a Brücknero a) producti. Ne quidem Jo. Ad. Oslander hanc distinctionem impugnat, sed potius in Theologia Morali b) *Legem positivam divinam vel universalem, vel particularem esse*, conceptis verbis docet, ut adeo veniat mihi in mentem mirari, qui rigidus ingeniorum censor, Thomasius, c) eundem inter eos, qui huic distinctioni contrarientur, retulerit. In locis enim ab eo allegatis, d) Oslander non *distinctionem* ipsam, quod est in proparulo, sed *Grotianam distinctionis probationem*, impugnat, eamque, vel ex vocibus Ebraeorum *Mizvoth & Chükim*, vel sublimiori generis humani per Christum reparatione, arcessi debere negat. Distinctioni ipsi locum haud gravatim relinquit.

§. VI. Quibus ita disputatis, nunc ostendendum est, primam conjugii institutionem, *Gen. II, 22. sq.* ipsa primorum parentum creatione *Gen. I, 27.* non exclusa, primo *Legem*, deinceps *Legem positivam*, denique *legem positivam universalem*, cui contrarietur Polygamia, completi.

§. VII. Quod ad *primum* attinet, negant hoc quidem praeposteri Polygamiae Patroni, *Brücknerus, Halenses, Villenbergius*, & illud honestissimae gentis propudium, *Joannes Lyserus. Villenbergius*: locus, inquit, *Gen. I, 27. nihil sanctionis continet, sed totus textus historiam creationis refert* e) Nos vero multis, iisque non levibus, adducti causis, omnino aliquid Legis involvere arbitramur.

§. VIII.

a) in Prooem. decif. Matr. p. I. & II. b) P. I. c. XIII. §. I. p. 335. c) de Crim. Big. §. XIII. p. 14. d) p. 170. & 242. Observ. ad Grot. e) de fin. Polyg. §. IV.

§. VIII. Primo enim Adam, & Eva, *totius generis humani figuram*, ut *Anastafius Sinaita* loquitur, gestarunt. Quicquid igitur de iisdem conjugio copulandis Deus disposuit, id omnem eorundem posteritatem, qua contrahendum matrimonium, obligat. Deus enim primum illud primorum parentum conjugium reliquis omnibus velut *exemplum* quoddam, ac *instar*, perpetuo respiciendum, accurateque imitandum, proposuit. Idque vel sola vox *ἕσονται*, *erunt*, seu potius *sunto*, duo in carne una *Gen. II, 22.* arguit, quam non de solo Adamo & Eva, sed de omnibus matrimonium inituris, intelligendam esse, praeter id, quod supra monuimus, hoc quoque confirmat, quod multiplicationem, & propagationem, humani generis respicit, quam quidem usque ad interitum hujusuniversi durare, fas est. Neque vero creatio primorum parentum nude, ac simpliciter, velut rerum antea non existentium divina productio, sed simul ut *voluntatis divinae tacita declaratio*, spectari debet, quam quidem Legem generatim absolvere, supra ostensum fuit. Itaque & Christus ipse propositam de matrimonio quaestionem decisurus *Matth. XIX, 9.* ad eandem creationis historiam se recipit: *Non legistis*, inquit, quod is, *qui creavit, ab initio masculum, & feminam fecit eos*, quia nimirum, duos, non plures, eosque diversi sexus homines, condendo, duos non plures, conjugio copulandos esse, simul significavit. Tantum igitur abest, ut historia Creationis regulae, ac legis, auctoritatem excludat, ut etiam voluntatem Dei conditoris de numero personarum connubio jungendarum, clarissime aperiat.

§. IX. Quod ipsum Veteres etiam, suo pro acumine, facile intellexerunt, quos inter Theodoritus a) *ἕνα* inquit,

F

ὅτι

a) ad *Rom. VII, 4.*

ἀνδρα, καὶ μίαν γυναῖκα, ἐδημιούργησεν ὁ Θεός, ἐν αὐτῇ τῇ  
 διαπλάσει τὸν περὶ τὸν γάμον νόμον τιθεῖς, i. e. *in ipsa  
 creatione legem matrimonii statuit Deus a)*. Eandem in  
 sententiam *Asturius Amasenus b)* scriptor Sec. V. non  
 incelebris: *Ipsa, inquit, creatio Conjunctionis, non divortii,  
 scopum ostendit; primusque nuptiarum auspex, ac conciliator,  
 ipse est rerum opifex, qui primos, quos finxerat, homines  
 conjugali inter se vinculo copulans, necessarium posteris con-  
 vivendi, ac cohabitanti tradidit ordinem, quem, ut Dei le-  
 gem, sanctum ac inviolabilem habituri essent.*

§. X. Ipsam vero *Conjugii institutionem Veteris Ec-  
 clesiae Doctores pro lege, ac sanctione, admirabili con-  
 fensione, & procul dubio, agnoscunt. Tertullianus  
 Patrum Latinorum antiquissimus, conceptis verbis hoc  
 dicit: Adjecit, inquit, Legem de futuro, Siquidem pro-  
 phetice dictum est: Et erunt duo in carnem unam: non  
 tres, neque plures. Ceterum jam non duo, si plures. Stetit  
 Lex. c) Lactantius d) divina lex, inquit, ita duos in  
 matrimonium, quod est in corpus unum, pari jure conjun-  
 git, ut adulter habeatur, quisquis compagem corporis in  
 diversa distraxerit. Victor Antiochenus e): Adverte, ait,  
 Christum rem hanc non tantum ab affirmationis modo & ra-  
 tione constituere, & confirmare; verum etiam a mandato,  
 quo decernitur, ut una tantum uni copuletur. -- Nunc  
 agitur ex ipsa legis forma, primaque generis humani insti-  
 tutione, unum virum, uni tantum mulieri perpetuo coha-  
 bita-*

a) Vid. T. III. OO. f. 51. ed. Paris. b) vid. homil. ejus ad  
 Matth. XIX. p. 78. OO. a Combesif. edit. c) L. de Monog. c.  
 IV. f. 527. ed. Prior. d) Lib. VI. div. instit. c. 23. e) ad Marcū  
 X, 12.

bitare debere ostendit. Bene quoque Severianus, Galbatorum Episcopus, a) scribit: *Vide sis legem: Omnis enim primae originis vox naturae regula est. Adduxit Deus uxorem ad Adamum, manetque hactenus ea lex, ut uxor viro proveniat. &c. Theodoretus ad Malachiam b)* sic commentatur: *Recordamini primae legis datae Adamo & Evae (ἐναντιώθητε τῷ πρώτῳ νόμῳ, τῷ δοθέντος τῷ Ἀδὰμ.) Simul enim atque mulierem creavit, velut quispiam nymphagogus eam ad virum adduxit, ac leges matrimonii constituit, (δίδωσι τῷ νόμῳ τῶν νόμων) dicens: Propterea derelinquet homo Patrem, ac Matrem &c. Cum igitur Deus idem universorum ambos & creaverit, & conjunxerit, & hanc legem tulerit; (τῆστον τέθεικε τὸν νόμον) quomodo audetis tam aperte ea, quae a principio constituta sunt, violare c). Adstipulatur Beda venerabilis, & d) causam esse negat, Dei lege praescripta, ut vivente ea, quae relicta est, alia ducatur. Consentit Theophylactus his verbis: e) Δείκνυσσι Χειρὸς, ὅτι τῷ πλαίσιαντος ἡμῶν ἐξ ἀρχῆς ἔργον ἐστὶ, καὶ νομοθεσία, ἢ μονογαμία. Veterum proinde Doctorum, quos in S. literis tractandis multo, quam recentiores quosdam Politicos, acutius vidisse arbitror, sententiis, perinde ut solidis, idoneisque argumentis, confectum est, primam Institutionem Conjugii legis, & sanctionis loco habendam, ex eaque totam indolem matrimonii, & omnia ejus requisita ita deducenda esse, f) ut, quicquid cum eadem pugnat, pro peccato debeat haberi.*

F 2

§. XI.

a) de creat. mundi Orat. V. b) Cap. II, 14. 15. c) vid. T. II. OO. f. 939. edit. Paris. d) in Comment. ad Marci X. e) ad Matth. XIX. fol. 110. ed. Paris. f) Conf. omnino Reinbeckius in nervoso tractatu *von Natur des Ehestands*. &c. P. I. p. 67. sq.

§. XI. Jam alterum illud 2) expediendum est, eandem scil. non modo inter leges, sed etiam *positivas* leges, referri oportere. Ac primo 1) quidem haec ipsa Conjugii institutio respicit actum, suapte natura indifferentem, a voluntate autem DEI determinatum. Quod enim *duos*, non *plures*, voluit in unam carnem coalescere, id in solidum dependet a voluntate DEI, qui sicut plures condere potuisset feminas, dummodo voluisset; ita potuisset etiam uni viro plures feminas in matrimonium dare, siquidem voluisset. Bene, ut solet, *Maxime Ven. D. VVeickmannus*: *DEVS primo humani generis parenti non nisi unam conjugem ideo dedit, ut voluntatem suam de numero personarum in societate nuptiali servandam, hominibus declararet.* 2) Dominus hanc legem in Paradiso, condito jam genere humano, demum promulgavit. Quod ipsum legis cujusdam *positivae* notam non immerito interpretamur. Lex enim naturae homini, *cum crearetur*, a Deo impressa, non *cum jam creatus esset*, superaddita demum, ac revelata fuit. Ne 3) denuo urgeam, *dispensationem* etiam divi-  
nam, nisi in legem positivam, cadere non posse.

§. XII: Quod restat, 3) *universalem* esse hanc legem, facili potest negotio demonstrari. Data quippe est 1) Adamo & Evae, totum genus humanum repraesentantibus. Per Adamum enim haec verba DEVS ipse pronuntiavit: *Deseret homo Patrem, ac Matrem, & adhaerebit uxorisuae*, non uxoribus suis. *Gen. II, 24. Matth. XIX. 5.* Quemadmodum igitur in Adamo & Eva, tanquam in radice, ac stirpe generis humani, virtualiter omnes homines includebantur; sic lex Adamo & Evae praescripta, *virtualiter* omnibus est lata. Tum vero 2) si *particularis* foret haec lex, eadem Christiani sub novo foedere teneri non possent.

sent. Leges enim positivae particulares, utpote Ceremonialis, & Forensis, ad solam gentem Israeliticam sunt restrictae. Christus autem suos, perinde ut Judaeos, ad hujus legis observationem *Matth. XIX.* remittit, Apostolus quoque, ut suus cuique feminae maritus, & sua cuique viro sit uxor, graviter mandat. *2. Cor. VII, 6.* Addimus, 3) infra nos ostensuros, ne quidem quenquam Israelitarum sub veteri foedere, nisi per *dispensationem* divinam, ab hujus legis obligatione exemptum fuisse. Ad extremum 4) *Brücknerus* ipse fatetur, verba illa: *Erunt duo in carnem unam*, Legem & regulam *omnium, & singulorum matrimoniorum*, complecti. a)

§. XIII. E quibus, utut mihi videar fortiter inferre posse, hanc legem non solum pro *positiva*, sed & *universali*, habendam esse, ex abundantiam tamen praestantissimum, & sapientissimorum Virorum suffragia, & auctoritates, adjicio. *Lutherus* ipse huic patrocinator sententiae, quum scribit: *Patres (Polygami) sunt excusandi, sed exempla eorum non imitanda sunt.* - - *Nos secundum leges NB. communes (respicit autem praecipue divinas,) vivere, illasque non transgredi debemus.* b) Veteres quoque illi Vittembergenses Theologi, quorum verba inferius afferemus, dispensationem divinam, quoad hanc Legem, statuendo, eandem minimum non *naturalem*, sed potius *positivam*, esse, tacite agnoverunt. *D. Balthasar Meisnerus* totum hoc quidem de Polygamia argumentum meticolosius disputat, procul dubio, quod, eandem juri naturae contrariari, tum temporis plerisque persuasum

F 3

erat,

a) in Decif. Cauf. matrim. c. XIII. p. 458. b) in cap. XXIX. Gen. T. IX. Alt. f. 916.

erat, quibus si contradicere auderet, verendum erat, ne multorum in se iudicia provocaret. Interim non diffimulat, eorum sibi placere sententiam, qui putent, *πολυγαμίων intrinsece*, ac *per se*, peccatum non fuisse, sed tantum *extrinsece*, & *quatenus voce divina prohibeatur*. a) *Jo. Hülfemannus*, acerrimi Vir ingenii, b) negat, Polygamiam, *qua talem, per se*, esse peccatum mortale, abstrahendo a *divino mandato*, legemque de illa *non esse obligatoriam ex lumine naturali*, quemadmodum: non occides, furaberis, &c. sed *ex jure divino positivo*, quod Christus docuerit, praefendum esse concessioni Mosaicae. Socero adstipulatur gener, *Calovius*, docetque, *deesse* in polygamia *intrinsecam peccandi rationem*, si non secundum Legem Dei positivam, sed secundum Legem naturae insculptam, spectetur. c) Idem conceptis verbis *Jo. Ad. Oslander* d) statuit: *Institutio*, inquit, *conjugii non est jus aliquod naturae, sed Lex positiva*. Consentiant *D. Dieckmannus*, e) & *J. Andr. Quenstedius*, f) &, quem, ob spectatam mihi doctrinam, ac prudentiam, summis etiam Viris jungere non dubito, *Chr. Roerenseus*, g) ii denique omnes, *quotquot Deum olim quoad Polygamiam Patriarcharum dispensasse credunt*, quos quidem suo loco numero plurimos laudaturi sumus. Accedit vero etiam his ipsis, ut semper est optimarum partium, *Celeberr. VVeickmannus*, ac licet ab hac ventilanda, vel decidenda

a) Phil. socr. T. I. Sect. II. c. V. p. m. 411. b) in Brev. extenso c. XXI. §. 8. c) T. XI. Syft. Qu. II. p. 222. d) in not. ad Grot. de I. B. & P. p. 748. e) in Vind. Leg. monogam. p. 3. f) Syft. P. III. c. XIV. p. 460. g) Prud. Mor. P. III. c. 2. p. 280.



denda quaestione prudens abstineat, aliorum quoque sententias suo loco relinquat, id tamen ingenue fatetur: *omnia sese hoc in negotio ad jus divinum, positivum quidem, veruntamen universale, referre.* a)

θ. V.

Quapropter circa eam DEVM aliquando in V.T., gravibus de causis, dispensasse, merito arbitramur.

§. I. Dispensatio, si describenda sit, in genere est *relaxatio Legis*, vel actus superioris, *quo quis in particulari eximitur ab obligatione Legis*. Penes quem igitur est potestas legem ferendi, ac promulgandi, penes eum quoque est, legem jam latam relaxandi. Ex quo propullulat, homini non licere, legem divinam, etiam positivam, dispensando laxare, nisi unus & idem alter casus ab ipso Legislatore tacite ac virtualiter fuerit exceptus. Itaque Abimelechus, Pontifex Maximus, quum, fame urgente, cibum ab eo peteret Davides, audebat quidem dispensare circa Legem de panibus propositionis, *quatenus juxta eam nemini ex iis vesci licebat, praeterquam Sacerdoti*, ita, ut non dubitaret, eos concedere Davidi, quos alioqui solis Sacerdotibus comedendos esse, non nesciebat. Norat enim, a DEO ipso exceptum esse casum necessitatis, in quo liceat de iis vesci, etiam ei, qui non sit Sacerdos. Non audebat tamen dispensare circa eam, *quatenus cibum ex iis sumere nemo, nisi mundus, debebat*, quod, hunc casum a Deo exceptum non esse, norat. Unde adeo tum demum licitam fore Davidi eorundem manducationem putabat, si quidem a congressu femineo sibi temperasset.

1. Sam.

a) Vid. Just. Causes p. 14. in Apol. P. I. Sect. II, 4. §. 13. p. 184.

1. Sam. XIV. quod *munditiam* Leviticam a manducaturō absolute, conditionem sacerdotii, tantum extra casum necessitatis, a Deo requiri, intelligebat.

§. II. Sic igitur dispensatio cadere in Legem DEI positivam potest. Quae ipsa vero nec cum interpretatione Legis, nec cum derogatione, vel irritatione illius, confundi debet. Per *interpretationem* enim significatur, legem in aliquo casu non obligare, unde nonnunquam *declaratio* dicitur. Per *derogationem* lex, ejusque obligatio ex parte tollitur, ex parte manet, ita, ut vis legis quodammodo imminuatur, ac infringatur, unde & nonnunquam *diminutio* vocatur. Per *irritationem* denique lex aboletur quoad se totam, idque vel per consuetudinem contrariam, vel per legem adversam, a superiore latam. Per *dispensationem* vero in aliquo casu, quo revera viget, ac obligat Lex, ejus obligatio ab aliquo subjecto tollitur, reliquis manentibus obligatis.

§. III. Sigillatim vero nolim hanc dispensationem confundi cum *permissione facti*, vel etiam *simplici tolerantia*. Illa enim nihil aliud, quam *non-impeditionem* physicam actus illegitimi: haec autem *suspensionem poenae*, utut actus imputetur ad culpam, significat. Dispensatio e contrario Superioris consensum, & positivam concessionem, vel *permissionem juris*, involvit.

§. IV. Jam non desunt, qui cum *Dannbauero*, a) *Schmidio*, b) *Voetio*, c) aliis, opinentur, Polygamiam in V. T. vel solum *permisam*, vel saltem *nude toleratam*, fuisse. De dispensatione enim divina in Scripturis nil inveniri, imo eam ne quidem locum habere potuisse, quod eadem non modo

primae

a) In Coll. Decal. l. c. b) in Comment. ad 2. Sam. c. XII. p. 233.  
c) Prud. Eccl. P. I. L. III. cap. V. p. 201.

primae institutioni Conjugii, sed ipsi etiam Legi divinae, manifesto contrariatur. Nonnulli, ob defectum prohibitionis divinae, t. t. ne quidem aliqua dispensatione opus fuisse, cum *Lysero, Brücknero, Willenbergio, & Halensibus Jctis* statuunt.

§. V. Dicitur autem vix potest, quot, quantisque, se difficultatibus implicent, qui nudam vel permissionem facti, vel tolerantiam agnoscunt. Sequetur enim, Patres, sanctissimos ceteroque homines, contra conscientiam, deliberatoque consilio, nec semel illud, peccasse: In statu reatus, procul poenitentia, usque ad vitae suae finem, perseverasse: DEVM cum peccatoribus contumacibus, & atrocissimo irae divinae reatu pressis, familiarissime, clementissimeque versatum fuisse: Nec eosdem vel per se, vel per alios, de gravitate reatus, quem per polygamiam contraxerint, unquam monuisse: Conditores, satoresque, gentis Israeliticae ex illicito concubitu natos: Davidem vero, & alios, pietatis laude in ipsa Scriptura celebratissimos, viros, subdolos, hypocritasque, fuisse, qui explendae libidinis causa, ingravescente nonnunquam senio, sanctissimas matrimonii leges perruperint.

§. VI. Quae quidem difficultates omnes facile declinaturi sumus, siquidem Polygamiam quorundam Patriarcharum cum quadam Numinis dispensatione copulatam fuisse, existimemus. Si enim dicamus, DEVM dispensasse, sequetur, in Polygamia nullum fuisse peccatum; potuisse autem dispensare sine dispendio justitiae & honestatis, quia nihil versus naturae dictamen, in tali facto est &c. Quae verba sunt eruditissimi Riveti. a)

G

§. VII.

a) Comment. in Gen. Ex. XLV. p. 225.

§. VII. Primo enim 1) Dispensatio *virtualiter* continebatur in promissione *πολυτεκνίας* inusitatae, quae uti se deinceps numerosissima sobole, aliquando Capitulum XXX. ut in Jairo, *Jud. X, 4.* aliquando LX. ut in Ebzane, *c. XII, 8.* aliquando LXX. ut in Gideone, *Jud. VIII, 30.* exeruit; sic facile apparet, monogyniae beneficio obtineri illam non potuisse. Sicut ergo *repudium Gen. II, 23.* fuit prohibitum, per dispensationem vero *Deut. XXIV, 1.* ob *σκληροκαρδιου* permissum; ita & *Polygamia* in prima quidem institutione prohibita, ob promissionem vero seminis multiplicandi, dispensando concessa fuit.

§. IIX. Deinceps 2) vix eadem nisi in heroibus, sanctissimisque hominibus, utpote Patriarchis, Judicibus, & Regibus, deprehenditur, quos uti singularibus Spiritus Sancti dotibus, etiam *extra ordinem*, beatos esse, constat; sic vero non est simile, illos, citra dispensationem divinam, adversus legem, de qua illis satis constabat, non solum peccasse, sed & peccando perseverasse.

§. IX. 3) DEVS peccata etiam ex infirmitate quadam a Sanctis commissa, vix sine castigatione dimisit, & Hiskiam, piissimum ceteroqui Regem, quod exterorum legatis opes suas ambiciosius ostenderat, per Jesaiam reprehendit. *Jes. c. XXIX. 6. 7. sq.* Polygamiam vero neque per se, neque per alios, improbasse, aut puniisse, legitur, ac licet Davidem ob adulterium, semel utique commissum, feverissime objurgavit, Polygamiam tamen in eo non reprehendit.

§. X. Imo 4) tantum abest, ut improbaret in Patribus Polygamiam, ut etiam *post* contractam Polygamiam, procul omni offensae significatione, non minus, quam *ante* illam, gratia eos sua complexus fuerit, bonorumque omnium

omnium affluentia ornarit. Hinc Lea filio, e Silpa sibi nato, nomen *Isaschar* imposuit, eoque ipso natos ex illa Polygamia liberos divinae bonitati acceptos tulit *Gen. XXX, 18.* minime id factura, siquidem, contra Numinis voluntatem, maritum cum Silpa concubuisse persuasum habuisset.

§. XI. 5.) Si citra dispensationem divinam polygami evasisent Patres, procul dubio gravem contraxissent reatum, a quo, nisi peccatum agnoscendo, uxores superfluas dimittendo, gratiam Numinis implorando, liberari non potuissent. Nam & ab Esra & Nehemia, qui, contra legem, exteris solum uxores duxerant, non ante recipiebantur in gratiam, quam eiecissent illas, *Ebrae X. 1. sq. Neb. XIII, 23. sq.* Nihil vero, quod de Polygamia doluerint, nihil, quod jam ductas unquam dimiserint: nihil, quod veniam sibi hoc nomine a Deo exorarint, legitur in Scripturis. Ergo nec peccatum fuisse, nec pro peccato habitum fuisse, Polygamiam sequitur, quae tamen certo in peccatis habenda fuisset, nisi divina dispensatio intervenisset.

§. XII. 6.) Multi non sua sponte, sed aliena voluntate, polygami facti sunt. Abraham duxit Hagar, stimulante Sara: Jacob Silpam & Bilham, suadentibus, Lea & Rachele: Joas Rex duas omnino in matrimonium sumpsit; auctore ipsomet Pontifice, Jojada 2. *Chr. XXIV, 3.* Nunquam vero vel Conjugum, vel Amicorum, consiliis obtemperassent piissimi viri, nisi vocem illorum, ipsius Dei vocem, vel certe voluntatis divinae *dispensantis* indicem, credidissent.

§. XIII. Quid multa? Intervenisse dispensationem 7) vel *solo ex eventu* probari potest. Ratum enim DEVS habuit matrimonium Abrahami cum Hagar; Jacobi cum Rachele, Silpa & Bilha: Davidis cum

Bathsaba &c. Ergo dispensando, nec enim aliter fieri potuit, probavit.

§. XIV. Denique 8.) aut dispensatio aliqua statuenda est, aut illud admittendum, sanctissimos Patriarchas, heroes, ac Reges, viros numine afflatos, in peccato mortali sine poenitentia, usque ad mortem perseverasse. Quod *invictum esse dilemma*, ipsi *Calovio* a) videtur. Uti vero posterius inter falsa & absurda, merito numeratur; sic ad statuendam, & agnoscendam, quandam dispensationem vel ipsa necessitate compellimur.

§. XV. Temerarie igitur a *VWillenbergio* scriptum est: *Patriarchas dispensatione a lege vetante excusatos fuisse, nullo S. Codicis vestigio probari posse* b). Cui vero multos utriusque ordinis Doctores, etiam ex illis, qui alioqui *furi naturae contrariam esse polygamiam putabant*, opponimus, qui quum ista intuerentur, statuere coeperunt, Deum, qua polygamiam Veterum, dispensasse.

§. XVI. Ac *Voetius* quidem c) etiam *Augustinum, Ambrosium*, alios, hoc ipsum putasse scribit. Ceterum, in locis ab eo allegatis, nihil hujus inveni, ac ne in *Tarnovio* quidem: d) quin potius hi omnes nudam permissionem, ac tolerantiam, statuunt. Pridem tamen opinioni de dispensatione subscripserunt e) Scholasticis *Lombardus* e) & quotquot fere in eundem, (excepto *resolutissimo Durando*, & aliis quibusdam,) sunt commentati. Quorum e numero *Jo. Duns*, Scotus, ad loc. cit. Lombardi f) scribit:

a) In Comment. ad Cap. XXX. Gen. p. 1123. b) in praesid. n. VII. p. 11. c) P. I. Polit. Eccl. L. III. tract. 1. sect. 3. c. V. p. 201. d) L. II. 21. de Conj. e) L. IV. Sent. dist. 3. f) de Big. qu. 2.

bit: *Dico, quod Legislatoꝝ supremus potest dispensare, & absque ejus dispensatione non est completa justitia. Quibuscum faciunt Laymannus, a) Becanus, b) & Peverius c) qui addit: hanc sententiam magnam fidem habere ex auctoritate, Innocentii III. in Cap. Gaudemus de Divortiiis, optima ratione probantis, nemini illo tempore polygamiam, sine dispensatione divina, fuisse licitam. E nostris Lutherus ipse d) dispensatum fuisse, statuit, quum scribit: Non est, quod dicat aliquis: Hoc Jacob fecit, ergo mihi etiam licebit: Sed manendum Tibi est in regula: unusquisque suam uxorem habeat. - - Non autem quatuor uxores ducas, ut Jacob. Id enim ad solum Jacob pertinet, & ad eos, NB. quos voluit Deus exemptos esse a regula. Ordo Theologorum VVittenbergenſium, interprete Philippo, e) procul ambagibus dispensationem intervenisse, censet: Dieser Unordnung, ait, hat Gott etwas nachgegeben, und eine Dispensation gemacht. Denn Er allein Macht hat, seine Gebot zu ändern, - - - darumb, ob David und andere Heiligen der Zeit viel Ehe-VVeiber gehabt, so haben Sie doch ein besonderes VVort darzu gehabt, dadurch Sie entschuldiget f). Nec alienus ab hac sententia fuisse Mart. Chemnitius, g) videtur. Saltem, in simili prope causa, Adae filios non secundum rigorem juris naturae, sed ex dispensatione divina, suis sororibus copulatos fuisse, scribit. Palam vero huic accedunt sen-*

G 3

ten-

a) l. c. p. m. 430. b) in Man. L. IV. c. 6. p. 654. 657. c) l. c. p. m. 429. d) in Gen. Cap. XXX. f. 43. e) in Consil. VVittenb. P. IV. Tit. 1. p. 25. n. 5. f) Conf. Dedek. in Conf. Vol. III. L. I. Sect. IV. n. 2. f. 42. g) P. III. LL. de Conj. f. m. 226.

tentiae *D. Balth. Meisnerus*, a) *D. David Rungius*, b) *Theodorus Thummius*, c) *Hilfemannus*, d) *D. Andreas Kunadus*, e) *D. Casp. Finckius*. f) *Calovius*, δ πάλιν, g) penes Patriarchas intercessisse peculiarem dispensationem, non negandum esse, opinatur. Consentiant *D. Melch. Zeidlerus*, h) *D. Jo. Adam Osian-der*, i) recentissime *Theologi Rostochiensēs*, k) quique his omnibus adstipulantur, Celeberrimi Gedanensium Doctores, *Schelgwigius*, l) & *VVeickmannus*. m) *Ercis*, *Kulpisius*, n) *Petrus Oelhafen*, Prof. Gedanensis, o) & alii. E Reformatis Doctoribus, *Martyr*, p) *Zanchius*, *Beza*, imprimisque *Rivetus*, qui verbis conceptis: *Regula*, inquit, *communis*, *de duobus in una carne*, *exceptionem habuit ad tempus in populo Dei per divinam dispensationem*, q) addita opinionis suae causa, quoniam alioqui Patres non possent pro Sanctis haberi, nisi eos Deus absolvisset ab obligatione legis, quantum quidem eos spectabat.

## §. XVII.

a) in Phil. fabr. P. III. p. 636. b) in Gen. c. II. p. 151. & ad Cap. XXXI. p. 955. ut utrobique simul *Legi naturae Polygamiam contrariari* statuat, quae videntur pugnare. c) in Decal. p. 469. d) in Brev. extenso. c. XXI. l. 8. e) in Comp. SS. Theol. Disp. XXIII. §. II. p. 180. f) in Expl. Praec. VI. l. 61. g) Vid. Comment. ad Gen. c. XX XI. p. 113. Conf. System. T. XI. p. 212. h) de Polygam. p. 63. i) in Not. ad Grot. p. 746. k) in Responso, quod adjectum est ad Just. Causae. p. 77. l) c. Meletium p. 157. m) in Just. Causae p. 14. 47. sq. nec non in Apol. p. 144. n) ad Grotium Exerc. IV. §. 6. p. 55. o) ap. *Cel. VVeickmannus* in Apol. p. 324. p) in LL. Classe II. c. 10. q) in Gen. Cap. XXXIX. Exerc. CXXVII. p. 628.



§. XVII. Parum proficiunt Dissidententes, quando cum *Brücknero*, a) *VVollenbergio*, b) aliisque, huic sententiae obvertunt: nihil, vel quod dispensarit, vel quomodo dispensarit Deus, sacris in literis reperiri. Ex iis enim, quae legimus, etiam ea, quae non legimus, colligere possumus. Sacrificiorum e. g. rationem primis hominibus praescriptam fuisse, non legitur; quia tamen Abelis sacrificium DEO placuit, & placuit per fidem, quia impossibile est, placere DEO absque fide, *Eb. XI, 1*. fides autem, qua notitiam, in *revelatione*, qua fiduciam, in *promissione*, recumbit, utramque t. t. de sacrificio extitisse oportuit.

§. XVIII. Ac, ut propius ad rem accedamus, conjugium inter fratres, & sorores, ante tempora Mosis prohibitum esse, non legitur. Quia tamen jam Isaaci tempore Abimelechus, Palaestinarum Rex, e liberiore illius cum Rebecca jocatione, hanc Isaaci, non sororem, sed conjugem esse, intulit; necessario hinc colligitur, jam t. t. extitisse, non modo inter Ebraeos, sed alias quasdam, quibus cum commercium habebant, gentes, leges quasdam de gradibus in contrahendo matrimonio prohibitis, quum alioqui fratrum, ac sororum, conjugia juri naturae non adferrentur. Sicut igitur etiam ante Legem scriptam suggererat Deus Patribus nonnulla in sacris, addo & moribus, ac Republica, observanda, quae postea sancta fuerunt, & plenius expressa in populo DEI; ita post Legem latam concesserat Deus Patribus nonnulla, quae antea fuerant prohibita, & interdicta.

§. XIX. Distinguamus igitur inter dispensationem *externam*, conceptisque verbis prolatam, seu *explicitam*; & inter quomodocunque significatam, utut *actualem*.

Prio-

a) l. c. p. 467. b) in iter. praef. c. II. §. 24. p. 33.

Prioris, vereor ut possint facris in literis demonstrari exempla: et si *Rungius*, a) & *Meisnerus*, \*) *expressa Dei concessione permissam fuisse*, putent. Posteriorem intervenisse, statuo.

§. XX. Equidem de ratione ac modo aperiendi dispensationem, non omnino convenit, etiam inter eos, qui eandem de cetero admittunt. Alii cum Icto Gedanensi *P. Oelbasio*, b) a colloquio cum Deo externo, quo saepe usi sint Patres: alii cum *Ben. Pererio*, c) & aliis Pontificiis ab interiore instinctu ac monitu; alii denique cum *Bellarmino*, *Martyre*, *Riveto*, d) ipsoque adeo *Calovio*, e) a singulari quadam, quo modocunque facta, revelatione, arcessunt. Et sane hunc dispensandi modum Abrahamo, & aliis obtigisse, tum ex *Mal. II, 15. 17.* tum analogia exemplorum, non male concluditur. Uti enim ex eo, quod Eleazarus, Abrahami servus, a Deo, sine mora obtinuit, quae petierat, recte colligit *Rivetus*, eum procul dubio, *Numinis ipsius instinctu*, aliquid extra ordinem petiisse; ita etiam ex eo, quod Deus Patribus polygamiam nullam offensae, quin potius gratiae non interruptae, significationes dedit, eum in polygamiam illorum concessisse, & dispensando vim Legis laxasse, rectissime infertur. Interim innotescere quoque divina dispensatio potuit per consilium, de multiplicando conjugio a piis hominibus profectum, & cum interna eorum, quibus dabatur, de voluntate Dei, tali consilio patefacta, convictione conjunctum. Quia enim Deus dispensationem suam circa  
ejectio-

a) in Comm. ad Cap. II. Gen. p. 151. \*) l. c. p. 417. b) locum videlicet, ap. Cel. D. VVeickmann. in Apol. p. 324. c) in Comm. ad Gen. c. XVI. f. 560. d) l. c. p. 628. e) ad Gen. c. XXX. p. 123. sq.

ejectionem, & inde oriundam connubii dissolutionem, quoad Hagarem, Abrahamo aperuit, per Saram *Gen. XXI. 12.* & voluntatem suam, de jure primogeniturae, ab Esavo ad Jacobum transferendo, revelavit per Rebecam, cujus consilium, & Jacobus probavit, & Isaacus validum, divinumque esse, intra seipsum sensit; quid obstat, quo minus existimemus, proditam esse dispensationem divinam, quando vel Abrahamo, Sarah, vel Jacobo, Rahel & Lea, vel Joaso Regi, Jojada ineundae polygamiae auctores fuerunt? Nec enim vel piissimae animae, quae primam alioqui institutionem ignorare non poterant, polygamiam tanta cum licentia maritis suis, & aliis, suasurae, vel etiam sanctissimi Patriarchae, ac Reges, suadentibus iis tanta cum facilitate obsecuturi fuissent, nisi de divina consensione utrinque fuissent in conscientiis convicti. Verum quo demum cunque modo innotuerit dispensatio, si vel maxime *externa, verbalis, & explicita* non obtigerit, dum *actu ipso* evenerit, prius illud veritati dispensationis non magis fraudi esse potest, quam promulgationi Legis naturae, quod eadem non per *externam revelationem, sed internam impressionem* est facta.

§. VI.

Quae tamen dispensatio non fuit universalis, & ad omnes promiscue Israelitas, nedum gentes, extensa, vel etiam, regulae instar, in Rempubl. Judaicam recepta; sed ad paucos restricta, adeoque salva lege, & prima conjugii institutione, intelligenda.

§. I. Dissidentes vel nulla opus fuisse dispensatione existimant, propterea quod t. t. lex divina, cui contra-

H

traria

traria esset, non fuerita,) vel, si quandam intervenisse concedunt, eandem, quam fieri potest, largissime interpretantur. *Azorius*, b) & *Bellarminus*, c) ad omnes omnino gentes extendunt. Quorum a sententia non multum, inter Pontificios, deflectunt, quotquot Polygamiam solummodo contra Evangelium, i. e. statutum Ecclesiasticum N. T. esse, putant, utpote *Durandus*, *Toftatus*, & alii. Hoc ipso enim, minimum quoad tempora Vet. Instrumenti, Polygamiam nemini non licitam fuisse, docent. *B. Meisnerus*, nec enim id est celandum, Deum ab obligatione primae institutionis *Israelitas absolvisse*, scribit d). *VVillenbergius* vero, etiam *Josephi*, & *Seldeni*, auctoritate probare nititur, *omnibus in Rep. Judaica permissum fuisse, vivere cum pluribus uxoribus*, e) quod rotunde rejecit eruditissimus *D. VVeickmannus* f).

§. II. Nos, *generalis* alicujus dispensationis, nulum in Scriptura vestigium invenimus. Imo cum ipsa *dispensationis* indole, ac natura, pugnat *universalitas*. Quin potius verba *Lev. XIIX, 18*. Sororem ad forem, viva illa, non ducito, stylo Ebraeorum, ordinariam Polygamiae prohibitionem involvere, persuasum habemus. Quapropter non obstante, quam supra statuimus, dispensatione, quoad hunc vel illum, Legi vigorem suum, ac reliquos Israelitas obligatos mansisse, contendimus. Nec enim licuit Ebraeis, arbitrato suo praesumere dispensationem divinam, sed, ut Majores nostri sapienter censebant: *es gehörte ein besonder VVort von GOtt darzu*. Uti vero

a) Conf. Willenberg. in praef. p. II. b) instit. Moral. c. XVI. c) ap. Tarnov. p. 637. d) Phil. sobr. P. I. S. II. p. m. 417. e) in iter. praef. p. 23. f) in Apol. P. I. sect. II. §. I. §. 47. 48. 49. p. 85. fq.

vero hanc gratiam omnibus promiscue evenisse, credibile non est; ita etiam dispensationem fuisse universalem, merito dubitatur. Et, si dispensatio ad omnes promiscue extensa fuit, mirum erit profecto, quod in tam populosa, & ad omnem alioqui libidinem, ut Tacitus loquitur, *projecta* gente, non plures extiterunt Polygami. Inter omnes enim ex Aegypto egressos, quin ipsos etiam XII. Patriarchas, nemo nominatur Polygamus, nec insecutis fere temporibus, praeterquam heroum ac Regum, exempla suppetunt, quibus, ut in aliis, ita hac etiam in parte t. t. nonnihil videtur indulgisse Deus. Post reditum Judaeorum e Chaldaeis, nullum Polygami exemplum in Scripturis, ac ne Christi quidem Servatoris, temporibus, afferitur, etsi *πατρώων τι*, & patrium morem, *Josephus* a) dicat, *pluribus cohabitare uxoribus*.

§. III. Esto autem, non modo Reges, Judicesque, ac Principes, Ebraeorum, sed etiam privatos, nec modo fideles ac sanctos, sed etiam impios, ac infideles, Polygamos fuisse, nondum ex hoc sequitur, dispensationem aliquam universalem omnipotentis Dei obtinuisse. Initio enim non male forsân, cum B. Calovio b) respondebitur: *Ratione Israelitarum fidelium, permissionem solum cum gratuita non imputatione, in foro poli ob errorem communem: in reliquis tolerantiam in foro soli, & Politia, sufficere potuisse.* Si quis autem hac in sententia acquiescere nolit, ei per nos licebit, statuere, impios polygamiam sibimetipsis indulgisse, & Patriarcharum exemplis excusasse: Pios autem, antequam destinata perficerent, vel ad Pontificem Maximum, ejusque Urim, ac Thumim, vel ad Prophetas, vel quos demum cunque Numine afflari norant, recur-

H 2

risse

a) *Ἀρχαιολ.* L. XVII, c. I. b) ad Gen. c. XXX. p. 1124.

riffe, iisdemque & causas consilii sui aperuisse, & divinam ab iis dispensationem expectasse. *Josephus* certe *Saram Dei ipsius jussu*, (Θεῷ κελεύσαντος) Hagarem Abrahæ junxisse, memorat. a) *Thamar* vero Patri suo, *Davidi*, Regi quidem, veruntamen & *Prophetæ*, 2. *Sam. XIII, 13*. *Jojada*, Pontifex, sibimetipsi, potestatem in talibus causis dispensandi asseruit. 2. *Chron. XXIV, 3*. Si qui vero ex infirmitate quadam, ac præcipitato consilio, contraxerant *Polygamiam*, tum id forte per ingenuam poenitentiam operam dederunt, ut *DEVS* raram haberet, quam semel contraxerant. Nec enim alioqui videmus, qui iisdem contra legem *DEI*, & primam institutionem conjugii, scientes delinquere, & nihilo minus pristinum in gratia *DEI* locum, cum tranquillitate conscientiae, retinere potuerint. Cui quidem suspicioni favet, quod, postquam *Urim & Thummim*, & *Prophetarum* in populo *DEI* oracula, defecerunt, nulla *Polygamorum* exempla in *Scripturis* commemorantur. b)

θ. VII.

Omnis igitur dispensandi spes per *Christum* sublata, conjugiique ratio ad primam institutionem, & duas exclusive personas, revocata fuit.

§. I. *Prosper Aquitanicus* c) statuit, *Salomonem* jamjam sumptæ in contrahenda polygamia licentiae modum posuisse, cum scriberet: *Tempus est amplectendi, & continendi ab amplexu. Eccl. III, 6*. Verum his verbis non dispensandi morem, qua polygamiam, tollit, sed suum cuique

a) Ἀρχαιολ. L. I. c. XI. b) Conf. omnino Summe Vener. *Veickhmannus* in *Apol. P. I. Sect. II. c. I. §. 47. 48. 49. p. 85. sq.*  
c) *P. I. de prom. & prædict. Dei c. XXI.*

cuique tempus deberi, docet. Mos igitur *dispensationis divinae*, inter Israelitas, minimum usque ad tempus captae a Chaldaeis Judaeae, exempla vero *dispensationis praesumptae*, vel etiam *licentiae temere usurpatae*, usque ad Christi Servatoris, & amplius, aetatem, perdurasse videntur. Simulac vero Christus novi foederis fundamenta jaccere, Legemque suam a corruptelis hominum liberare, denique Coetus sui pomoeria etiam ad gentes proferre, coepit, omnis quoque circa polygamiam dispensatio sublata, conjugiique ratio ad primam institutionem revocata fuit.

§. II. Quod ipsum mihi videor ex *Matth. XIX, 3. sq.* solide non minus, quam facile, demonstrare posse. Et si enim t. t. *immediate* non de Polygamia, sed de divortio quaerebatur, Christus tamen, more suo, quo aliquando ad propositas discipulorum, aliorumque quaestiones, copiosius respondit, hac ipsa occasione rationes conjugii sic explicuit, ut non magis tolerandis divortiiis, quam obrinendae a Polygamis dispensationi, spem omnem praecideret.

§. III. Primo igitur 1) Ad ipsa generis humani primordia, & conjugii initia, nos remittit, dicendo: *Non legistis: Quod is, qui fecit ab initio, masculum & feminam fecit eos.* Quo ipso nos docet, Creationem unius maris, & unius feminae, non velut rem inanem, aut mere fortuitam, sed tanquam *voluntatis divinae*, in contrahendo matrimonio, *realem indicem*, spectari debere. Sicut enim initio *duos* praecise, non *plures*, unum nempe marem, & unam feminam, ad contrahendum conjugium, & propagandum in eo genus humanum, condiderit; ita de voluntate illius, ad eundem finem obrinendum, duas tantum, & non plures personas, per connubium sociandas esse. Si enim plures uni viro feminas jungi voluisset, plures ab initio creasset.

§. IV. Deinceps 2) Indissolubilem maris ad feminam adhaesionem insinuat, his verbis: *Deseret homo Patrem & Matrem, & agglutinabitur uxori suae.* Quemadmodum enim quod cum alio quodam conglutinatum est, ab eadem illa parte, qua est conglutinatum, cum alio quodam, nisi a priore fuerit revulsum, conglutinari non potest; ita etiam mas a parte anteriore, per copulam carnalem, conglutinus cum femina, ab eadem illa parte, cum alia quadam femina, nisi a priore avulsus, conglutinari nequit.

§. V. Porro 3) Numerum personarum, conjugio copulandarum ad duas, & quidem numero easdem restringit, dum ait: *Et erunt duo in carnem unam.* Quod ipsum cum Celeberr. D. *VVeickmannus* opponeret *VVillenbergio*, a) excepit hic: *se non negare, in quolibet matrimonio duas solum personas jungi oportere: at hoc non tollere polygamiam, quippe in qua plura dentur matrimonia, de quibus singulis illud valeat: Erunt duo in carne una.* Quo pacto restrictionem quidem *VVeickmannianam*, & nostram, quodammodo elusit, simul autem sibimetipsi foedissime contradixit. Illam quippe assertionem: *in statu conjugali duas tantum homines esse debere*; initio D. *VVeickmanno* tribuerat, & strenue impugnarat: b) mox suam fecit, ac liberaliter admisit. Ceterum, aut ego vehementer fallor, aut hanc elusionem, vel potius cavillationem, Servator ipse praevideat, eaque de causa textui voculas, *si duo*, inseruit. Quum enim perpetua, fixaque, naturae lege in *omni generatione*, qualiumcunque animantium, etiam contemptissimarum bestiarum, nonnisi duo, mas nempe, ac femina, concurrant, &, ut plures, in uno generationis

a) In iter. praef. p. 39. b) praef. 9. p. 21.



tionis actu, concurrant, *physice* sit *ἄδύνατον*, quid opus fuit has voces textui huic inferere? Nam quod *VWillenbergius* a) scribit: *Christum ideo duorum mentionem fecisse, ut matrimonii naturam repeteret, quae plurium quam duarum personarum societatem respuat*; id est hujusmodi, ut procul quadam simplicitatis suspicione Sapientissimo Servatori tribui non possit. Longius igitur haec verba propiciunt, quam Dissidenti persuasum est. Scilicet quando, duabus quasi personis digito monstratis, pronuntiat: *Ἔσονται οἱ δύο*: *Erunt hi duo*, in unam carnem, tum id docet Servator, non modo semper *unum cum una*, sed & *eundem cum eadem*, in una carne esse debere. Non est, quod dissentientes huic interpretationi obnuntient. Uti enim in locis ipsi *VWillenbergio* allegatis *Matth. XXI. 31. XXV. 17. XXVII. 21. Gal. 21. Gal. IV. 24. Eph. II. 45. Phil. I. 23.* in quibus omnibus voculae *ἄδύνατον* articulus est praepositus, non solum *Objectorum dualitas*, sed *identitas* quoque; insinuatur; ita etiam h. l. quum dicitur, *Ἔσονται οἱ δύο*, erunt duo in carne una, personas non solum *duas*, sed & *easdem numero duas*, & futuras, & per omnem vitam futuras, esse in una carne, docetur. Maris enim cum femina conjunctio praecipue est instituta a Deo, ad propagationem generis humani. Quoties igitur, & quamdiu, mas & femina genus suum propagare intendunt, toties, & tamdiu, *οἱ δύο, iidem illi duo*, non alius atque alia, nec modo *unus*, & *una*, sed & *idem cum eadem*, NB. *Ἔσονται* i. e. perseverabunt, in una carne. Ut adeo Dominus hoc mandato rectitudinem conjugii non modo ad *duas*, sed & *easdem numero*, personas restrinxerit. Quo ipso

a) in Praef. Iter. n. 31. p. 38.

ipso & Polygamia omnis simpliciter rejecta, & omnibus illius Patronis unum omnium maxime probatum latibulum est obstructum.

§. VI. Denique 4.) Legem de repudii libello & quod hinc sequitur, dispensationem, qua non committendam per divortium polygamiam, sustulit. E quolibet enim divortio, quale tum rejiciebat Servator, ob indissolubilitatem Conjugii ordinariæ, & juxta regulam, emergere debebat Polygamia. Qui enim unam feminam dimittebat, & aliam ducebat, juxta legem primæ institutionis, fiebat bigamus, quoniam cum nova uxore una caro fiebat, & cum priore, manebat. Tum vero, qui dimissam ducebat, pariter fiebat adulter, quoniam femina quam ducebat, juxta legem, non erat a priore marito soluta, utut fuerat dimissa. Ceterum, uti Polygamia Veterum, in se, ac regulariter, erat illicita, per dispensationem vero fiebat licita; sic etiam, qui, una dimissa, aliam ducebat, de jure quidem fieri debebat polygamus, ob intervenientem tamen permissionem divortii, revera non fiebat, sed potius, dato repudii libello, desinebat una esse caro cum ea, quam dimiserat, & quæ dimissa fuerat, per divortium revera solvebatur a dimittente viro. Quo pacto actu ipsò solvebatur conjugium, quod alioqui, vi primæ institutionis, non erat dissolvendum: & nec divortium faciens fiebat polygamus, utut aliam duceret, quoniam solutus erat a priore; nec repudiatam ducens fiebat adulter, utut duceret dimissam, quod eadem, accepto, juxta legem, repudii libello, a priore marito reapse fuerat soluta. Utrobique igitur, scilicet hinc in Polygamia piorum, hinc in divortiis impiorum, aliqua numinis dispensatio intercessit. In Polygamia enim Deus noluit solutum esse de facto, quod tamen

tamen *solvendum* erat *de jure*: In *divortio* volebat *solutum* esse *de facto*, quod non *solvendum* erat *de jure*. Illud ob praestandam, quam piis promiserat, *πολυτεκνιον*: Hoc ad declinandam, qua impii laborabant, *συληροκαρδιον*.

§. VII. Ceterum, quae Dominus certis, gravibusque, de causis, quoad primam conjugii institutionem, ejusque indissolubilitatem, hinc *dispensando*, hinc libellum repudii *permittendo*, indulserat, eadem, sub mutatione foederis, volebat penitus cessare. Uti enim Judaeos eo usque divina indulgentia ad malitiam, & libidinem, abufos esse, non ignorabat; sic una, eademque, opera utrique occurrendum esse, putabat. Omnem igitur Conjugii rationem volebat ad primam ejus originem, veluti normam divinitus praescriptam, & primigenium ejus exemplum, velut ideam quandam, ac typum, ab omnibus deinceps conjugibus imitandum, reducere.

§. VIII. Quapropter  $\int$  omnes matrimonii leges, rationesque, *ad primi conjugii exemplum, ac instar, revocat*, dicendo: *απ' αρχης & γεγνεσθω*, *ab initio non fuit ita*. Docet enim, omnia conjugii *essentialia* adeoque & numerum personarum, eo *in statu* relinqui oportere, quo fuerint a Deo instituta. Se igitur illa omnia rejicere, ac improbare, quae modocunque ab illo primigenio *exemplo* abeant, nec *ideae*, ac *typo*, divinitus praescripto, *in essentialibus* accurate respondeant, hac una de causa, quia ab initio non fuerit *εστω*. Quo ipso simul insinuat, & legem de *divortio*, & spem de *dispensatione*, qua monogamiam, deinceps cessaturam esse, propterea, quod de utraque dicendum est: *ab initio non fuit εστω*.) Ab hoc enim tempore *adulter* erit, tum is, qui aliam ducit, priorem vero non dimittit; tum is, qui unam dimisit, & novam superinduxit.

I

§. VIII.

\*) Conf. Chemnitius P. II. LL. Theol. f. 214. b. m.

## θ. VIII.

Quod utrumque ab Apostolo, mentem Domini tenente, confirmatum fuit.

§. I. Non dubitamus mandato Christi mandatum Pauli adjicere, quod Dominus suis ab Apostolis dicta non minore, quam sui ipsius præcepta, obsequio excipi ab hominibus voluit. Spiritu enim veritatis afflari Apostoli mentem Domini exactissime tenebant, 1. Cor. II, 17. ut nec docendo alios fallere, nec, qui auctoritatem eorum sequerentur, hoc ipso falli possent. Gravis autem Pauli est sententia: *Propter fornicationem habeat quisque uxorem suam, & quaelibet maritum suum.* 1. Cor. VII, 2.

§. II. Nervus 1.) inest in voce ἰδιος, cujus, omnium confessione, hic est primus, & præcipuus, significatus, ut opponatur *communi*. Etsi enim aliquando ea, quæ sunt communia, suo quodam modo, singuli sibi vindicare possint, *formaliter* tamen, & ratione sui, *propria* nunquam sunt *communia*. Accipi autem vocem h. l. significatu *dominante*, ac *primo*, vel ipse verborum contextus docet. Loquitur enim de viro, ac uxore, & utrique aliquid *proprii* assignat. Marito, *uxorem* suam: Uxori, *maritum* proprium. Jam sicut tum demum *uxorem* quis habet *suam*, si hæc cum nullo alio concumbat; sic tum demum *maritum* femina *proprium* habet, si hic cum nulla alia convivescat. Graviter, ac nervose, Reinbeckius a) *was heist ein eigen Weib? Antwort: Das sonst keinem andern, als ibrem Manne allein, beywohnt: Ergo vi oppositorum, heist auch ein eigen Mann, der sonst keiner andern Frauen, als der eigenen, begehrt: Rectissime.* Quo enim significatu τὸ ἑαυτῶς accipitur,

a) in erudito libello von Natur des Ebest. c. Thomafium, p. 21.

cipitur, quando refertur ad *uxorem*; eodem quoque, imo *fortiore*, significatu accipiatur, necesse est, τὸ ἴδιος, quando prædicatur de *viro*. Atqui τὸ ἑαυτῆς ad *uxorem* relatum, excludit omnes alios *Viros*: Ergo & τὸ ἴδιον, de *marito* prædicatum, excludit omnes alias *uxores*. Imo, parum abest, quin statuam, τὸ ἴδιον, h. l. multo fortius excludere pluralitatem *Uxorum*, intuitu *Viri*, quam τὸ ἑαυτῆς pluralitatem *Virorum*, intuitu *feminae*. Hoc enim cum quadam *communitate* consistere potest, ac licet aliquando excludat *alienum*, non tamen removet *commune*. Rahel e. g. habebat τὸν ἑαυτῆς ἄνδρα, Jacobum Patriarcham, sed non habebat ἴδιον, quia ei erat cum Lea, & aliis, communis. Τὸ ἴδιος autem h. l. non modo excludit *Virum alienum*, adeoque *adulterum*, sed etiam *communem*, adeoque πολύγαμον. Eodem enim sensu h. l. *proprius* maritus tribuitur *feminae*, quo *proprium corpus*, & *proprium donum* v. 4. & 7. tribuitur *Viro*. Atqui corpus homini ita est *proprium*, ut *physice* alterius fieri simpliciter non possit. Ergo & *Vir* uxori suae usque adeo est *proprius*, ut nullo modo alii *feminae* communis esse queat, eique prope magis, quam viro *sua uxor*, sit *proprius*. Quo ipso polygamia omnis absolute rejecta est.

§. III. Observamus 2) quod *Maritum*, & *Uxorem*, hoc toto in capite, Paulus *consideret ut pares*. Uti vero natura ipsa suggerit, parium parem quoque conditionem esse oportere; sic, cum uxori licere plures *mares* admittere, ipsi adversarii negent; sponte sequitur, etiam *Marito* nefas esse, plures *asciscere uxores*. Quo ipso denuo Polygamia omnis excluditur.

§. IV. 3) Tum vero attendenda quoque est *ratio*, sententiae Apostoli adjecta: *Ob fornicationem*, inquit, *habeat*

*quisque uxorem suam.* Sicut ergo *uxori* non licet dicere: *Unus* mihi non sufficit ad evitandam fornicationem; ita nec *Marito* dicere fas est: *Una* mihi non sufficit. Quin potius sicut *uni feminae*, Dei voluntate, iudicioque, & potest, & debet, sufficere *unus maritus*; sic etiam *uni marito*, & potest, & debet, ad restringendam libidinem, sufficere *una uxor*. Quaecunque vero carnis conjunctio datur contra unius, ejusdemque Viri, cum una etiam muliere, honestam societatem, ea est vel adulterium, vel scortatio.

§. V. Minime omnium 4) praeteriri debet, quod negat, eodem hoc in capite, Apostolus, utrumque conjugem sui ipsius corporis potestatem habere: *Vir*, inquit, *non habet potestatem sui corporis, sed uxor: nec uxor habet potestatem sui corporis, sed maritus, c. 4.* His enim verbis ostendit, quod per pactum connubiale, in divina institutione innixum, unius conjugis corpus in alterius potestatem *abdicative* transeat, ita, ut conjux uterque destinat habere sui corporis potestatem, & e contrario potestatem acquirat in corpus alterius, citra sexus masculini, & feminini, discrimen. a) Quomodo autem maritus jure poterit alii feminae sui corporis facere potestatem, quam tamen non habet? Num soli *Marito* licuerit velut de alieno largiri, *uxori* non liceat? Imo vero his verbis non obscure innuitur, quod uxor alias omnes feminas ab *usu corporis mariti* arcere possit, adeoque *jus prohibendi* habeat, si quidem maritus pluribus sese feminis jungere, ac miscere, auit.

§. VI. Duo his praecipue videas a Dissidentibus opponi. Alterum est *Brückneri*, b) scribentis: *Uxori jus*

a) Conf. D. Langius Diff. I. de nupt. proh. §. XV. p. 16. b) l. c. c. XIII. p. 483.

*jus prohibendi competere tantum per leges civiles, quibus viro potestas, cum aliis feminis connubia ineundi, adempta sit.* Ex quo porro id sequitur, uxorem *jus prohibendi* non diutius usurpare posse, quam per Principem liceat, qui si marito potestatem illam, vel reddere, vel reservare, velit, uxorem jure suo cedere oportere. Nos vero *jus prohibendi uxori ob legem divinam asserimus*, per quam maritus non magis corporis sui potestatem habet, vel eam alteri foeminae facere potest, quam Uxor. *Paritatem* enim hic inter conjuges, marem, & feminam, qua cohabitationem, agnoscit Apostolus, eandemque *utrique* tribuit, & per totum prope caput deducit, ut facile pateat, omni fundamento destitui, quae de virorum prae feminis praerogativa, hoc in argumento, nonnulli fabulantur. Et si enim maritum prae uxore *in reliquis*, juxta illud *Gen. III, 16.* aliquid habere praecipui facile largiamur, quae *ἑνωσις* tamen utrique debitam, summa utrinque paritas deprehenditur, ita, ut nec maritus corpus suum subtrahere uxori, & alteri dare, nec uxor marito, possit, quoniam *ἰν ὁμοῖο*, non solum duo, sed & iidem duo, semper esse debent, quotiescunque coire volunt, *in una carne.* a) Caro autem, quae una est, aequalem honorem habeat, juxta Gregorium M. b)

§. VII. Alterum Villenbergii est, qui matrimonium, *in se spectatum*, nil differre a contractu quodam civili putat. Jus igitur uxoris, quod in maritum habet, *ex pacto connubiali* derivat, ut *in solidum sit ejus, si consenserit maritus, non item, si secus.* Verbo: *jus prohibendi*, vel uxori quaesitum, esse jus non rei, sed personae,

I 3

a) Conf. Estius in Comment. ad h. l. b) ad Matth. c. XIX. f. 280.

“*nae, non conjugii, sed conjugis, quae illo ex mutua con-  
 “ventionione, non matrimonii natura, ejusque institutione,  
 “gaudeat.* a) Quae quidem nos omnia simpliciter negamus. Primo enim falsum, sacrisque literis manifesto contrarium, est, matrimonium in se a *contractu civili* nihil differre. Novi, primo quosdam e Reformatis Ictis, ita sensisse, mox *Thomassium, & Halenses*, b) huic sententiae accessisse, eo maxime consilio, quo evincerent, decisionem causarum matrimonialium ad Theologos nulla ratione spectare, sibi vero integrum esse, de iisdem esse, pro arbitrato suo, pessima quaeque, indignissimaque, statuere. Quum vero hanc omnem perorare litem per institutum praefens non liceat, id unum discere nunc a Dissidentibus velim, qui factum, quod, cum omnium alioqui negotiorum civilium decisionem a se declinaverit Servator, de rebus tamen ad matrimonium pertinentibus, Summus ille *Propheta*, & large tradiderit, & promte responderit? Etenim, cum aliquando rogaretur a quodam, ut fratri suo divisionem haereditatis injungeret, negavit hoc sui esse officii *Luc. XII, 13.* mulierem quoque in adulterio deprehensam damnare abnuit, & ordinario judici reliquit. *Jo. VIII, 11.* At vero cum de *divortio*, addo, & conjugio cum fratria, hinc a Pharisaeis, hinc a Sadducaeis, quaereretur, prompte respondit, eoque ipso docuit, discussionem causarum matrimonialium, si non ad *Theologos* potius, quam ad *Politicos*, certe ad *illos* non minus, quam ad *bos*, pertinere.

§. IX. Cetera, quae huic hypothese superstruxit Dissidens, hujusmodi sunt, ut sua se levitate destruant. *Jus enim prohibendi uxori nascitur, non ex pacto connubiali, aut mutua*  
 con-

a) in prael. Jur. div. §. XIII. p. 27. & in iter. prael. §. XL. XLIII. p. 45. sq. b) Vid. T. IX. Obf. Lat. Obf. X. §. 8. p. 244.



conventionem, aut quia suo velut favori renuntiavit maritus, & suo se abdicaverit jure, sed fuit ex ipsius matrimonii indole, quod, vi institutionis divinae, qua debitum conjugale, omnimodam paritatem, respectu maris, & feminae, requirit, quae tanta est, ut uxor ne quidem, salva lege, & in lege fundata conjugii natura, cedere suo jure, & potestate, quam habet in mariti corpus, se abdicare queat. Hoc enim revera foret circa legem divinam jus dispensandi sibi sumere, Deique sanctiones pro lubitu vel eludere, vel saltem interpretari, quod utrumque prohibitum est. Reliquis, iisque, pro more, a *Brücknero* petitis, *VWiltenbergii* cavillationibus, hoc in capite sua pro dexteritate ita satisfecit eruditissimus *VVeickmannus*, ut omni ulteriori discussione possimus superfedere.

## b. IX.

Christianis igitur polygamia omni simpliciter interdictum, illudque perpetuo eorundem obsequio, abstinentiaque ipsa, & praxi monogamica est firmatum.

§. I. Fluunt haec ex antea disputatis. Quilibet enim jubetur habere propriam uxorem: & quaelibet proprium maritum, etiam cum potestate prohibendi, eademque, non in lege tantummodo Civili, sed ipsius conjugii natura, & prima illius institutione, fundata. Hinc uti uxor, vivo marito, est ὑπόδικος, ita, ut, si alii nubat, fiat adultera; sic invicem maritus est ὑπογύναικος, ita, ut adulter audiat, si aliam, viva priore, ducat. *Rom. VII, 1. 2.* Imo omnis, (maritus) qui viderit mulierem, ad concupiscendum eam, jam adulter avit eam in corde suo. *Matth. V, 28.* Quotiescunque igitur de conjugio loquitur N. Testamenti Scriptu-

Scriptura, uni viro unam uxorem tribuit, ex eoque capite cum unione Christi & Ecclesiae mystica, *Eph. V, 32.* comparatur, quod, sicut unus vir uni feminae jungitur; sic etiam unus Christus cum una Ecclesia copulatur. Fac, licere viro, plures uxores ducere, & aliquando reapse in matrimonio habere, mox totum illius mysterii fundamentum labetur. Neque vero cum *Brücknero*, & *VWillenbergio*, putari debet, Apostolorum tempore a solis id Episcopis *i. Tim. III, 2.* & *Tit. I, 6.* requisitum fuisse, ut essent monogami. Illam quippe cavillationem acutissimus *VVeickmannus* tam solide removet, ut prorsus in pudorem dedisse adversarium videatur.

§. II. Respondit regulae *praxis*, prohibitioni *obsequium*, & ipsismet fatentibus adversariis, Polygamia *ab initio Christianitatis, serie non interrupta, per leges publicas, severissime prohibita, & ab universa Ecclesia profligata fuit.* a) Si haec audeant ad Christianos Imperatores restringere, primo secum ipsis pugnabunt, quum *ab initio Christianitatis* prohibitum esse fateantur, quod quidem ad Christi & Apostolorum tempora referri oportere, omnes intelligunt. Deinceps sequetur, polygamiam *tribus prioribus a Christo nato seculis*, quibus non-Christiani Imperatores fuerunt, divinis, humanisque, legibus licuisse. *Divinis*; quia id ipsi Dissidentes summo nisu contendunt: *Humanis*; quia *Brückneri* b) & *VWillenbergii*, iudicio, passi sunt Romani subjectos sibi populos suis legibus, & consuetudinibus vivere, *inter quos notorie fuerit libertas Polygamiae.* Jam, quum ex his polygamiae affluetis gentibus collecta sit Ecclesia, ostendi mihi postulo, cum nulla ejus exempla in antiquitate appareant, cur omnes illorum remporum

a) Brücknerus l.c. c. XIV. n. 17. p. 484. b) l.c. c. XIII. n. 66. p. 466.

temporum scriptores, etiam Apostolicis proximi, *Ignatius*, a) *Irenaeus*, b) *Justinus*, c) *Athenagoras*, d) *Theophilus Antiochenus*, e) polygamiam Christianam nesciant: cur illi Ecclesiae Doctores polygamiam non modo non laudent, sed & vituperent, cur, ubi de conjugio loquuntur, uni Viro non nisi unam uxorem tribuant, & hoc ipso sese a Iudaeis, f) & aliis gentibus, distinguant, imo *multos utriusque sexus in coelibatu consensescere* jactent? g) Quod si ad Christianos usque Imperatores polygamiae usus in Ecclesia duravit, quo in Concilio, aut quibus Conciliorum decretis, aut quibus denique legibus, *primum* est abrogatus? Num credibile est, Imperatores Christianos, Christianorum, & suam ipsorum, libertatem, quam sub gentilium tyrannide retinuerant, eo in negotio circumscribere voluisse, in quo minime omnium humana ingenia ferre servitutem possunt; aut hos etiam aequa mente laturos fuisse, ut nulla de causa leges sibi a Principe eo in negotio ferrentur, in quo ad illud usque tempus utriusque foederis Ecclesia, libertate fuerat usa? Legi aliquando de *Bigamis* in Ecclesia, non nego. Sed & illud adjicio, primo *bigamorum* nomine intelligendos esse, qui, una uxore mortua, aliam ducebant, deinceps, quum ne hi quidem, sine praevia poenitentia, ad Communionem Ecclesiae facile fuerint admitti, discere hinc possumus, quam parum probata fuerit polygamia *simultanea*, quando ne *successiva* quidem impune contracta fuit. In somnia igitur & fabulas desinit, quicquid de Polygamia Christianis ab Imperatoribus

K demum

a) in Epist. ad Antioch. b) L. I, 32. adv. haereses. c) in dial. cum Tryph. f. 337. a. b. ed. Col. d) in Apol. f. 36. ed. Colon. e) ad Avtoletum L. II. p. 104. f) Justinus M I c. f. 363. & Athenagoras I. c. g) Athenagoras I. c.

demum Christianis interdicta statuitur. Norant vero, & e Scripturis norant, inde ab initio, & sigillatim Christo, & Apostolis, sibi eadem interdictum, adeoque *divinis* legibus prohibitum esse, quod alioqui per *humanas* licebat. Illis ergo, pro eo ac debebant, sunt obsecuti, & *secundum approbatas sibi leges*, (*κατὰ τὰς τεθειμένους νόμους*) quarum nomine *Romanas* intelligi non posse, ex ipsa Dissentientium confessione constat, uxorem sibi quisque sumpserunt, a) promptaque adeo abstinence, & ipsa praxi, credere se, monogamiam esse *juri divino* contrariam, ostenderunt.

θ. X.

Nulli ergo mortalium, ac ne Principi quidem, aut Magistratui in Republica, circa eandem dispensare licet.

§. I. Equidem videtur *Melanchton* b) aliquam etiam nunc *dispensationem*, quoad Polygamiam admittere, ea procul dubio de causa, quod persuasum habuit, quosdam hodie tales nasci posse, ut ab ipso Deo, *facite* saltem, ac *virtualiter*, ab illa lege, de nonnisi una ducenda uxore, excepti esse videantur. Quam etiam e praecipuis fuisse rationibus putamus, quibus inductus in permittenda Philippo Hassiae Landgrafio polygamia se justo liberaliorem, ac indulgentiorem, exhibuit.

§. II. Ceterum hanc *Melanchtonis* sententiam qui ex Ecclesiae nostratis Doctoribus probare, ac sequi, voverit, scio neminem. Ad exemplum Philippi Hassiae Landgrafii, tam infeste nobis ab adversariis exprobratum, sua pro excellenti doctrina & prudentia, ita respondit Antistes

a) Athenagoras l. c. f. 36. ed. Col. b) in Conf. Vittemberg. P. IV. p. 25.

tistes Gedanensium *Veickmannus*, ut bene fecerit *Willenbergius*, si hanc deinceps camarinam movere desierit.

§. III. Interim nonnulli Politicorum non dubitarunt asserere, illam dispensandi potestatem etiam nunc locum habere, & sigillatim ad Principem in Republica pertinere. Taceo *Arcuarium Daphneum*, seu, ut verum Viri nomen exprimam, *Laurentium Begerum*, &, qui pessimam quamque sententiam avidissime arripit, ac disseminat, *D. Christ. Thomasum*. Unus jam prodeat *Willenbergius*, a) qui sponte fatetur, *omnem eo collimare scopum suum defensionae Polygamiae, ut constet, ex reservatis Principum esse, de ea dispensandi. Hinc ipsum posse, NB. si velit, cum duabus uxoribus conjungi, exemplo Landgravi Hassiae &c.* Posse illum NB. privato quoque ex gravibus causis duabus simul nubendi (scribere debuerat: *duas ducendi, quum nubere, juxta Latinos, sit feminarum;*) gratiam facere.

§. IV. Uti vero hanc omnem conditionem ex eo *Willenbergius* deducit, quod Polygamia nec jure naturae, nec jure positivo divino, sed solum jure humano, sit vetita; b) sic postquam Polygamiam omnino cum jure divino, eoque positivo, ac universali, pugnare, supra ostensum fuit, ex antea disputatis, ac demonstratis, contrariam merito conclusionem elicimus, Principique potestatem circa Polygamiam dispensandi competere, simpliciter negamus.

§. V. Etsi enim ei forte liceat, poenam Polygamis statutam, gravissimis de causis, mitigare, & capitalem vel in perpetuum carcerem, vel in damnationem ad metalla, mutare, non tamen potest quenquam a juris divini obligatione ita eximere, ut Polygamia ei etiam

*inter-*

a) in Praefidiis J. div. §. 31. p. 38. b) in Sched. th. X. it. in praef. n. 3. p. 6.

interne, & in foro Conscientiae, ubi solus Deus iudicem agit, fiat licita. *Quis erit inter homines tantae praesumptionis, ut, vovendo Fœderis divinam a se mutari posse, putet? Acquiscere enim & parere oportet summas quascunque potestates humanas, quibus & ipsis leges divinae positae sunt, quaeque propterea subjectionem suam, & obsequium profiteri coguntur.* a) Quisquis igitur hoc Principibus, qui nonnunquam iusto liberius vivere sustinent, sub quacunque veri specie persuadere conatur, is eorundem gratiam, cum Numinis injuria, captat, humanamque potestatem sic evehit, ut deprimat divinam. Peccat Princeps, si Conjugi suae aliam superaddat: Gravius peccat, si civibus suis idem permittat: Gravissime peccant, qui utrumque procul peccato fieri posse, docent, eoque ipso utriusque committendi auctores sunt. Quum enim ad nullum vitii genus perinde propendeat humana corruptio, quam ad luxuriam ac libidinem, facile apparet, quam male honestati, ac Reipublicae consulant, qui per hujusmodi doctrinas licentiae humanae fenestras aperire, & frena laxare, student. Dum enim illa de legibus divinis, quibus Polygamia contrariatur, persuasio ex animis hominum fuerit evulsa, in continenti dispensationum circa polygamiam nec modus, nec finis, erit, ac sensum, paulatimque, in locum Christianismi vel ipse Mahumedisimus succedet. Quod ne nobis opinione citius eveniat, Doctorum quidem Ecclesiae est, meliora, & saniora, tradere, juxta & evincere e Scripturis, Magistratuum vero Christianorum officium exigit, ut illam ingeniorum quorundam proterviam tempestive coerceant, ac, ne quid per eandem religio Christiana detrimenti capiat, quanto fieri potest studio, annitentur.

a) verba sunt Ziegleri in de jur. Maj. L. I. 7. §. 6. p. 186.











00 4 6464

ULB Halle  
002 932 44X

3




sb.

v. 178

V. 177 Rehr ✓





QVOD DEVS BENE VERTERE IUBEATI

**SVMMMAM  
SANAE DOCTRINAE  
DE  
POLYGAMIA**

AVSPICIIS  
*SERENISSIMI PRINCIPIS ATQVE DOMINI  
DOMINI  
FRIDERICI AVGVSTI*

*DUCIS SAX. ET ELECT. SAXON. HEREDIS, ETC.  
PRAESIDE*

**GOTTLIEB VVERNSDORFIO**  
*SS. THEOL. DOCT. ET PROF. PVBL.  
AEDIS PRIMAR. PRAEPOSITO, ET SENAT.*

*ECCLES. ASSESSORE,  
IN ACADEMIA VITTEMBERGENSI  
DIE FEBR. c15 15CC XVI  
A REGENTIORVM MAXIME CORRVPTELIS  
ET CAVILLATIONIBVS,  
VINDICATAM DABIT*

**JO. CHRISTOPHORVS GREIBZIGER**  
*SERVESTA - ANHALTINVS.*

*VITTEMBERGAE  
EX OFFICINA VIDVAE GERDESIAE*

